MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81627-20

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

MUHL, JOHANN

TITLE:

SYMBOLAE AD REM SCAENICAM...

PLACE:

AUGUSTAE...

DATE:

1879

Master Negative #

93-81627-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG93-B5061          Acquisitions     NYCG-BT
FIN ID ILRC9974278-B - Record 1 of 1 - SAVE record
UNI
  ID:NYCG93-B5061              RTYP:a    ST:s   FRN:   MS:   EL:u    AD:06-10-93
  CC:9667  BLT:am      DCF:    CSC:d   MOD:    SNR:      ATC:       UD:06-10-93
  CP:xx      L:lat     INT:    GPC:    BIO:    FIC:0     CON:
  PC:s      PD:1879/           REP:a   CPI:0   FSI:0     ILC:       II:0
  MMD:d     OR:?   POL:b    DM:d    RR:d???   COL:b     EML:a     GEN:c  BSE:a
  040      NNC‡cNNC
  100 1    Muhl, Johann.
  245 10   Symbolae ad rem scaenicam Acharnensium aviumque Aristophanis fabularum
         ‡h[microform].‡c[Scripsit] Joannes Muhl.
  260      Augustae Vendelicorum,‡bFormis Pfeifferiis,‡c1879.
  300      [1]-59 p.
  500      Pages extracted from a program from a school in Usti.
  600 00   Aristophanes.
  LDG      RLIN
  QD       06-10-93
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 8/2/93 INITIALS BE

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

478
2
No. 5

SYMBOLAE

AD REM SCAENICAM ACHARNENSIUM AVIUMQUE ARISTOPHANIS FABULARUM

ACCURATIUS COGNOSCENDAM.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUA SCRIPTA

SOLLEMNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO AUGUSTANO AUGUSTANAE CONFESSIONI ADDICTO

DIE VI MENSIS AUGUSTI

RITE CELEBRANDA

RECTORIS ET COLLEGARUM NOMINE

INDICIT

DR. JOANNES MUHL

SCHOLAE LATINAE PRAECEPTOR.

AUGUSTAE VINDELICORUM

FORMIS PFEIFFERIIS.

MDCCCLXXIX.

In numero eorum virorum doctorum, qui de re scaenica quum omnium Graeciae poetarum scaenicorum tum Aristophanis bene meriti sunt, primum facile locum obtinet Schoenbornius, qui post Kanngiesseri opus satis obsoletum („alte komische Bühne in Athen" 1817), post Genellii curas magis diligentia quam ingenio destitutas („das Theater zu Athen" ꝛc. Berlin, 1818), post Schneideri librum, ut tunc tempora erant, minime spernendum et nostra quoque aetate propter rerum ex veteribus fontibus depromptarum copiam utilem („Attisches Theaterwesen". Weimar, 1835), post Gepperti denique scripta fide minus digna („die altgriechische Bühne". Leipzig, 1843) per aliquot annos in rebus scaenicis quam diligentissime explorandis omne studium consumpsit. Qua in opera litteris navanda adiutus est et insigni illo libro doctrina Germanica dignissimo, quem a Friderico Wieselero his de rebus compositum esse gaudemus („Theatergebäude und Denkmäler des Bühnenwesens bei den Griechen und Römern". Göttingen, 1851) et laboriosis per complures Asiae minoris regiones itineribus, quibus effecit, ut suis oculis maximam theatrorum Graecorum, quorum vestigia ad nostram aetatem permanserunt, partem perscrutaretur. His de causis factum est, ut quaestionem de rebus scaenicis Graecorum instituentibus Schoenbornii liber, qui inscribitur „Die Skene der Hellenen". Leipzig, 1858, pro fundamento esse debeat. Secundo autem loco Julius Sommerbrodt, quanquam inprimis tragoediarum rebus scaenicis illustrandis operam dedit, commemorandus est, quippe qui complures commentationes planas atque concisas de hac antiquarum litterarum provincia in lucem ediderit (quae nuper collectae titulo „Scaenicorum" Berolini prodierunt). Nec neglegendae Weckleinii curae („Studien zur scenischen Archäologie" Philol. Bd. XXXI. Jahrg. 1872, p. 435—463), propterea quod

de singulis scaenae partibus ad persuadendum accommodate disseruit.*)

His addendae sunt, quae singillatim de Aristophane a viris doctis compositae sunt commentationes. Ex quibus primo loco mentio facienda est „quaestionum de Aristophanis re scaenica“ ab Ernesto Droysenio Bonnae 1868 conscriptarum, quum de compluribus rebus fructus luculentus ex iis percipiatur. Deinde commemorare debemus, quae Woldemarus Ribbeckius in editione Acharnensium (Leipzig, 1864), quam editionem Bursianus (Liter. Centralbl. Jahrg. 1865, Nr. 38, p. 1008) recognovit, et annotavit et praefatus est. Neque indignae, quae commemorentur, nonnullarum fabularum editiones a Roberto Engero, Theodoro Kockio, Iulio Richtero, Alberto Muellero profectae, quod in iis de singulis rebus docte sciteque agitur. Postremo non de scaena ipsa, sed de actoribus quaerenti inprimis inspiciendus est Beerii liber doctissimus ac subtilissimus („Ueber die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes“. Berlin, 1844).

Jam postquam de libris maioris momenti ad rem scaenicam Aristophanis spectantibus breviter egimus, quo consilio hunce commentariolum conscribere instituerimus, nobis est exponendum. Id igitur agimus, ut omnia componamus, quae in singulis Aristophanis fabulis de ornatu et scaenae ipsius et histrionum in ea agentium erui possint. Qua in re accuratius exploranda fundamentis utemur iis rebus, quas a Schoenbornio aliisque viris doctis recte explicatas esse vel certum vel verisimillimum est. Sed quoniam omnibus poetae comici fabulis superstitibus examinatis modum hujusmodi opusculo aptum excederemus, satis habebimus de Acharnensibus Avibusque quaestionem instituisse. Ac singula quidem scaenae actorumque ornamenta indagaturi rationem habebimus vel maxime illorum pronominum, quibus utuntur homines ad rem certam demonstrandam; etenim speramus fore, ut iis adiuti investigemus non solum, quaenam singulae res personaeque oculis spectatorum comparuerint (cfr.

*) Conferas etiam, quae Albertus Muellerus de scriptis nostrae aetatis ad rem scaenicam spectantibus judicium faciens in medium protulit („Scenische Alterthümer“. Jahresbericht im Philol. Bd. XXIII, Jahrg. 1865, p. 273—345 und 482—540; Bd. XXXV, Jahrg. 1876, p. 289—367).

Droysenium p. 2, Kockium in editione Avium ad v. 160 annotantem), sed etiam, qualem aspectum praebuerint. Itaque spectabimus suo loco pronomina *ὅδε*, *οὗτος*, *οὗτοσί*, *ἐκεῖνος* aliaque his similia, si quidem eo sensu reperiuntur, unde concludi possit, vel res vel personas, de quibus illa dicantur, in scaena conspectas esse. Neque articulum *ὁ ἡ τό* neglegemus, quippe qui nonnunquam pristinam demonstrandi vim retinuisse videatur. Item imperativos quosdam, ut *ἔχε*, *λαβέ*, *ἴθι*, *ἰδού* cum verbis *ὁρῶ*, *οὐχ ὁρᾷς* cet. respiciemus, quod actores haec similiaque semper usurpant eo consilio, ut spectatorum animos ad novam sive rem sive personam in scaena apparentem convertant. Magni denique momenti sunt *εἴσω*, *ἐνδόθεν*, *δεῦρο*, *θύραζε* vocabula et verba eundi praepositionibus *ἐξ*, *ἀπό*, *εἰς*, *πρός* subiuncta, quorum Droysenius usum omnibus locis huc spectantibus accuratissime compositis perspicue explicavit (p. 3 seqq.). Etenim ex tot collectis locis Aristophaneis demonstravit (p. 8), verbis *εἰς-ιέναι-ἔρχεσθαι-βαίνειν-ἄγειν κ. τ. ἑ.* histriones domum quandam intrantes scaenam se relicturos esse indicare; *ἐξ-ιέναι-ἔρχεσθαι-ἄγειν κ. τ. ἑ.* verbis se in pulpitum prodire ex aedibus egredientes; similemque *εἴσω* et *ἔξω* adverbiorum usum exstare; *ἔνδον* vocabulo 'post scaenam' scilicet 'in aedibus' significari. Atque idem ostendit (p. 12), voce *προσέρχεσθαι* plerumque indicari, histriones pulpitum intrare per aditum vel dextrum vel sinistrum, non per scaenae portam; verbum *ἀπιέναι* denique (p. 13), quanquam haud raro relinquere scaenam per dextrum vel sinistrum aditum significet, saepius tamen omnino abeundi significationem tenere. — Ut autem apud ipsum poetam usum illorum verborum perpaucis exceptis locis, quos aliquo modo corruptos esse verisimillimum est, sibi constare patet, ita facile est intellectu ei, qui obiter tantum scholia vetera inspexerit, apud scholiastas eadem verba alibi alio sensu adhiberi. Atque ut exempla proferam, scholia in Vesp. v. 1292, Equit. v. 498, Pac. v. 1128, Av. v. 675 usurpant illa verba eodem, quo fabulae ipsae, sensu. Contra in scholio ad Av. v. 801 apud alterum scholiastam alio sensu reperiuntur; in scholiis ad Acharn. v. 242, Ran. v. 269 contrario sensu adhibentur. In Duebneri denique de comoedia Prolegomenis (IX, a v. 36) *εἰς-ἔρχεσθαι* de choro

eodem sensu dicitur, quo *ἐξέρχεσθαι* de histrionibus apud poetam ipsum adhibetur, h. e. sensu in medium prodeundi, cui rei concinit, quod eodem loco verbum *ἐξέρχεσθαι* de histrionibus dictum non significat, eos in pulpitum prodire, immo post scaenam abire. Et hanc quidem scholiorum discrepantiam Thiemannus in iis quoque verbis, quae ad rem metricam spectant, observavit (Heliod. Colometriae Aristoph. p. 106). Ergo efficitur, ipsos scholiastas saepius res scaenicas, inprimis quae ad proscaenii formam atque ornatum pertinerent, parum cognitas habuisse. Unde ego adducor, ut existimem scholiastas priorum temporum, quibus etiamdum vera proscaenii species ante oculos versabatur, illis verbis eadem, qua poetam, ratione usos esse; hac vero memoria paullatim oblitterata posteriorum temporum interpretes verbo *εἰσέρχεσθαι* sensum in scaenam prodeundi cet. supposuisse. Quam rem accuratius perscrutandi non hic locus est. — Restat, ut annotationum genus quoddam commemorem, quod graece *παρεπιγραφαί* nominatur, ad singulos actorum in ipsa scaena agentium motus cognoscendos utilissimum. Has enim notas partim ad ipsum poetam, partim ad scaenarum designatorem (quem homines nostrae aetatis „Regisseur" appellare consueverunt) referendas esse consentaneum est (cfr. schol. in Ran. vv. 269, 1251: *μετὰ δὲ τὸν μβ'**) *κῶλον ἰαμβικὸν ἐφθημιμερὲς τὸ „αὐλεῖ τις ἔνδον", ὁ κατὰ παρεπιγραφὴν φασὶ κεῖσθαι· ὡς καὶ ἑξῆς τὸ „διαύλιον προσαυλεῖ"*; item schol. in Acharn. init. (v. 25): *ἐξαιρείσθωσαν καὶ αἱ παρεπιγραφαί*, quibus ex locis intellegitur — id quod Droysenius p. 27 recte monet „eos, qui fabulas primum commentariis instruxerint, versuum tenorem adscriptis *παρεπιγραφαῖς* interruptum invenisse"; atque eiusmodi notas ab Aristophane ipso fabulis insertas esse testis est vitae scriptor — Duebneri Prolegg. de com. XI, v. 71 seqq.: *πάλιν δὲ ἐκλελοιπότος καὶ τοῦ χορηγεῖν τὸν Πλοῦτον γράψας εἰς τὸ διαναπαύεσθαι τὰ σκηνικὰ πρόσωπα καὶ μετεσκευάσθαι ἐπιγράφει χοροῦ κ. τ. λ.* — Neque tamen negari potest etiam scholiastas principes, Symmachum, Phainum, Didymum dico**),

*) Scil. *στίχον*.

**) Cfr. Schneideri commentationem subtilissimam: „de veterum in Aristophanem scholiorum fontibus". Sundiae, 1838.

in singulis sive rebus sive verbis explanandis satis multum de suo addidisse (cfr. subscriptionem codicis Veneti in fine Nubium: *„παραγέγραπται ἐκ τῶν Φαείνου καὶ Συμμάχου καὶ ἄλλων τινῶν"* et in fine Pacis: *„παραγέγραπται ἐκ Φαείνου καὶ Συμμάχου"*). Atque omnibus quidem harum notarum, quas Droysenius p. 21 seqq. diligenter collegit, examinatis exemplis cognoscimus, eas adhibitas esse, quum aut in scaenae ornatu aliquid mutaretur aut musici verbis histrionum concinerent aut histrioni alicui in scaena agenti motus gestusve peculiaris mandaretur. Itaque in rem scaenicam singularum fabularum inquirenti minime neglegendae sunt. — His asserere possumus, quae duobus Pacis fabulae locis occurrunt, notas a scholiasta *προαναφωνήματα* dictas (cfr. schol. in Pac. init. v. 16: *μετὰ δὲ πεντήκοντα ὀκτὼ ἔστι προαναφώνημα τὸ ἔα ἔα* et v. 658 *μετὰ δὲ τὰ λέ ἔστι προαναφώνημα τὸ ὦ ὦ*); etenim histriones eo, quod interiectionibus *ἔα ἔα* et *ὦ ὦ* similibusque utuntur, cum gestu quodam ad rem proferendam accommodato indicant sese magnum aliquid eloqui velle. — Quae denique in scholiis *παρεκκυκλήματα* inveniuntur, de iis Droysenius p. 28 ad persuadendum apte disseruit, quum diceret, „vocem *παρεκκύκλημα* nihil esse nisi quod interpositum esset sive dramati scaena sive textui versus; unde fieri, ut quum antepositum esset *παρεκκύκλημα* adnotationi scholiastae, unam eandemque atque *παρεπιγραφή* haberet significationem". Schoenbornius contra quod locis quibusdam scholiorum (in Nub. vv. 18 et 22), qui minime ad suam sententiam quadrant, neglectis huic verbo eundem fere ac voci *ἐκκύκλημα* sensum inesse (p. 347: — — „so kann Parekkyklema nur eine Maschine sein, durch welche Gegenstände von der Seite her vorgeschoben wurden, sodann auch die auf ihr befindlichen Gegenstände") contendit, manifesto errat, id quod planis scholiastarum in vv. 18 et 22 verbis et sensu v. 132 satis demonstratur. — Extremum illud est, ut mentionem faciam signorum illorum, quae proprie ad rem metricam solam spectantia nonnunquam haud inutilia sunt ad aditus exitusque histrionum explorandos; quarum notarum inventionem ab Heliodoro, viro rei metricae peritissimo, repetendam esse Thiemannus (Colometr. Aristoph. p. 105 seqq., p. 128 seqq.) et O. Hensius (Heliodoreische Untersuchungen p. 35 seqq.)

docuerunt. Iidem viri docti demonstraverunt, eam significationem rerum metricarum, de qua scholiasta Pluti (in v. 253) uberius agit, ab Hephaestione petitam sincerae illi Heliodori rationi minime respondere.

Jam postquam ostendimus, quid nobis propositum habeamus et quibus auxiliis freti consilium persequi cogitemus, rem ipsam aggrediamur et disputemus

I. de re scaenica Acharnensium.

Priusquam autem de singulis huius fabulae rebus scaenicis agamus, necesse esse videtur, ut paullo copiosius explicemus, quid de ornatu veteris Graecorum scaenae universo sentiamus, hoc est, utrum cum iis faciamus, qui praeclarum illud Godofredi Hermanni: „naturam imitabantur Graeci" secuti sibi persuasum habent, Graecos veteres in scaena tum tragica tum comica exornanda id egisse, ut veram rerum speciem exprimerent, an illis assentiamur, qui in Boettigeri verba*) iurantes censent, eosdem popularium mentis acumine et alacritate confisos in scaenae ornatu pleraque cogitationibus spectatorum reliquisse. Non dubitamus igitur profiteri, nos a partibus Hermanni stare; quanquam nullo modo adducimur, ut credamus Graecorum ingenio integro ac sincero placuisse nimiam illam posteriorum temporum in scaena exornanda luxuriem, quam Horatius Epp. II, 1, 190 seqq. suo iure his verbis perstringit:

— „dum fugiunt equitum turmae peditumque catervae;
mox trahitur manibus regum fortuna retortis;
esseda festinant, pilenta, petorrita, naves;
captivum portatur ebur, captiva Corinthus".

Ut vero illud faciamus non tam auctoritate viri illustrissimi neque Schoenbornii iudicio (cfr. Die Skene der Hellenen p. 34: „Das Bestreben der Alten ging sichtlich dahin, das, was den Zu-

*) Cfr. Kleine Schriften p. 401: „Man würde sehr unrecht thun, wenn man sich diese Thüren als wirklich gemalte Häuser, Tempel und Palläste vorstellen wollte. Es waren, dünkt mich, bloße Thüren in der Querwand der Hinterbühne. Aber man dachte sich dabei die Tempel, Häuser, Grotten".

schauern im Drama als sichtbar bezeichnet war, ihnen auch in der That vor Augen zu bringen") adducimur, quam plano ipsorum veterum testimonio, quod nobis quidem maximi momenti esse videtur. Inveniuntur enim in Prolegomenis Duebneri de comoedia (IX, a. p. XX, v. 28 seqq.) haec verba:

„ἐν ἐαρινῷ καιρῷ πολυτελέσι δαπάναις κατεσκευάζετο ἡ σκηνὴ τριωρόφοις οἰκοδομήμασι, πεποικιλμένη παραπετάσμασι καὶ ὀθόναις λευκαῖς καὶ μελαίναις, βύρσαις τε παταγούσαις καὶ χειροτινάκτῳ πυρί, ὀρύγμασί τε καταγείοις καὶ ὑπογαίοις, καὶ ὑδάτων δεξαμεναῖς εἰς τύπον θαλάσσης, ταρτάρου, ᾅδου, κεραυνῶν καὶ βροντῶν, γῆς καὶ*) νυκτὸς, οὐρανοῦ, ἡμέρας καὶ ἀνακτόρων, καὶ πάντων ἁπλῶς. αὐλάς τε οὐ μικρὰς εἶχεν ἐξειργασμένας καὶ ἀψῖδας εἰς τύπον ὁρῶν".

ad quae ii viri docti, qui hanc litterarum antiquarum provinciam tractarunt, animos non satis intendisse videntur, quanquam eo maiorem fructum praebere possunt, quod non solum brevibus verbis res in scaena exornanda adhibitae singulae enumerantur, quarum (quod sciam) nullam alium fere nisi Pollucem auctorem habemus, verum etiam ex fonte limpidissimo fluxisse videntur. Etenim inter viros doctos constat, illa quae dicuntur Prolegomena de comoedia maximam partem ex antiquorum commentariis descripta esse (cfr. Bergkii praefat. p. VIII. init.), inter quos prae ceteris celebrati fuerunt Lycophronis et Eratosthenis commentarii περὶ κωμῳδίας (cfr. Dindorfii praefat. p. VI. apud Duebnerum repetitam.**) Quibus de causis ratione habita verborum brevitatis ac ponderis haud multum a vero aberrare nobis videmur, quum statuimus ea, quae supra exscripsimus, verba in reliquiis bonae illius hominum Alexandrinorum doctrinae numeranda esse. — Jam vero fontis auctoritate probata in ipsa verba inquiramus.

Traditur igitur scaena tempore verno aedificata esse tribus

*) Haec verba, sicut nunc leguntur, parum sibi concinere facile apparet: neque enim terrae cum nocte cet. coniunctio ulla intercedit. Cui vitio medemur paucis transmutatis scribentes: ἡμέρας καὶ νυκτός, γῆς καὶ οὐρανοῦ, ἀνακτόρων καὶ πάντων ἁπλῶς.

**) Cfr. etiam Augusti Meinekii „fragmenta comicorum Graecorum" vol. I, pp. 10 et 11.

tabulatis instructa, distincta velamentis et linteis albis atrisque. coriis strepentibus et igni manibus concusso, scrobibus terrenis et subterraneis, et aquarum lacubus instar maris, Tartari, Orci, fulminum tonitruumque, diei noctisque, terrae coelique, templorum, omnium denique eiusmodi rerum, atque areis haud exiguis fuisse exornata et arcubus in speciem montium formatis.

Quibus diligentius examinatis intellegimus, verba instar maris, Tartari seqq. ita prioribus respondere, ut primum quodque horum ad ultimum quodque illorum, secundum ad paenultimum, atque in eundem modum ad finem usque referendum sit. Cognoscimus igitur aquarum lacus in scaena adhibitos esse ad maris speciem exprimendam; scrobibus terrenis et subterraneis loca Orci Tartarique, igni manibus concusso et coriis strepentibus fulmina tonitruaque, linteis albis atrisque diem noctemque, velamentis terram coelumque, aedificiis trium tabulatorum templa, omnium denique aedificiorum genera spectatorum oculis proposita esse.

At, dicat aliquis, num tibi fingis istos aquarum lacus revera in scaena collocatos fuisse? Minime, inquam; immo eos multaque alia scaenae pictura, quam Graeci *σκηνογραφίαν* vocant, ab Agatharcho pictore Aeschyli temporibus inventa (cfr. Vitruv. praefat. libr. VII, 11. namque primum Agatharchus Athenis, Aeschylo docente tragoediam, scenam fecit) in speciem naturae expressa fuisse mihi persuasum habeo. Statuendum igitur est aquarum illos lacus in iis machinis depictos fuisse, quas Pollux IV, 131 *ἡμικύκλιον* et *στροφεῖον* appellat (cfr. Schneider. §. 120 et 121), quibus machinis in scaena Ranarum instruenda*) (cfr. vv. 181 seqq. c. schol.) opus fuisse constat. — Scrobes deinde terrenae subterraneaeque scalae Charoniae (*χαρώνιοι κλίμακες*, cfr. Schneider. §. 124, Poll. IV, 132) atque *ἀναπιέσματα* (cfr. Schneider. §§. 125, 126, Poll. IV, 132) intellegendae sunt; inde Pax dea cum duabus comitibus in conspectum theatri prodiisse videtur

*) Itemque in instruenda scaena fabulae illius satyricae. quam ab Euripide compositam esse auctor Prolegg. de com. VIII, §. 27 seqq. tradit; cuius fabulae de argumento haec attulisse satis habeo: *Ἡρακλῆς πραθεὶς τῷ Ἰυλεῖ — — — ὅλον ποταμὸν πρὸς τὴν ἔπαυλιν τρέψας τὰ πάντα κατέκλυσεν.*

(cfr. v. 520). — Porro coria strepentia utribus silicum plenis respondent, quibus Pollux IV, 130 sonitum tonitruum effingi tradit; nec minus perspicuum est, ignem manibus concussum*) ad fulminum speciem referendum esse. Cui rei Pollucis verba (IV, 130 *κεραυνοσκοπεῖον — — — τὸ μέν ἐστι περίακτος ὑψηλή*) minime obstant, siquidem statuimus in ipsa periacto ministros scaenicos dispositos fuisse, qui desuper suo tempore faces ita manibus vibrarent, ut speciem fulminum referrent. — Sequuntur lintea alba atraque, quibus diem noctemque exprimi aptissimum esse videtur. Haec satis quadrant ad ea, quae Pollux (§. 131) *ὑφάσματα* dicit. Ac requiruntur illa quidem ad noctis imaginem referendam ineunte fabula Nubium et Ecclesiazusarum item Vesparum (cfr. vv. 216, 246), cui rei ipsius poetae verba testimonio sunt. Porro velamenta idem significant atque Pollucis *καταβλήματα*, de quibus ita disserit: (§. 131) *πίνακες ἦσαν ἔχοντες γραφὰς τῇ χρείᾳ τῶν δραμάτων προσφόρους.* — Areas denique illas-sive vestibula — ab utroque latere domuum sitas atque in postico proscaenii pariete depictas fuisse nobis verisimile esse videtur; item arcus instar montium bene quadrant ad eos aditus, quos Vitruvius „itinera versurarum“ appellat, oculos spectatorum periactis oppositis celatos, unde statuendum est, montium speciem in periactorum tegumentis depictam comparuisse (cfr. Poll. §. 131 *κατεβάλλετο δὲ ἐπὶ τὰς περιάκτους ὄρος δεικνύντα*). —

Postquam igitur tot tantasque res sive machinis sive picturis oculis spectatorum in scaena veterum Graecorum propositas esse demonstravimus, iure nobis contendere videmur, eos in scaena exornanda id egisse, ut veram rerum speciem quam maxime exprimerent neque tamen nimium sumptum ostentarent. Itaque iam ad „Acharnensium“ rem scaenicam tractandam festinemus. —

Ac primum quidem dubium non est, quin Schoenbornius suo iure contendat (p. 307)**), domum Dicaeopolidis media in scaena collocatam fuisse (cfr. Poll. IV, §. 124 *ἡ μέση μὲν — — — —*

*) Voci *πῦρ* hoc loco eam vim inesse, ut faces collucentes significet, apposito vocabulo *χειροτινάκτῳ* satis demonstratur.

**) „Denn vor ihm entwickelt sich die Handlung vornehmlich.“

πᾶν τὸ πρωταγωνιστοῦν τοῦ δράματος, quae verba Schoenbornius p. 69 recte interpretatur: Pollux versteht darunter alles das, was in Bezug auf Oertlichkeit die erste Rolle im Drama spielt; — — er meint also den Hauptschauplatz des Dramas), plano tecto ornatam (v. 262) atque in urbe ipsa sitam; a lateribus autem dextro — dextrum latus dico, quod spectatoribus a dextra apparebat, quum veteres interpretes in significando scaenae ornatu locum histrionum, non spectatorum teneant — Pnycem, sinistro Lamachi domum (cfr. argum. I: Λαμάχου παροικοῦντος αὐτῷ, Schoenbornius p. 70) positam; iis vero ianuis, quae graece αἱ ἄνω πάροδοι dicuntur, (quas quidem Vitruvius „itinera versurarum" appellat) dextra vicum quendam Athenarum, sinistra rus significatum (cfr. Polluc. l. IV §. 126, Wecklein. Philol. XXXI p. 446 seqq.). Ut hactenus autem omnes fere viri docti inter se consentiunt, ita de pompa a Dicaeopolide instituta quam maxime discrepant. Alii enim affirmant, eam tota scaena mutata ruri agi, alii mutationem scaenae fieri negant. Atque ab illa quidem parte Droysenius (p. 29) et Bursianus (Literar. Centralbl. Jahrg. 1865 Nr. 38 p. 1008 ff.), ab hac Hauptius („de scaena Acharnensium Aristophanis, quae parodum sequitur". Ind. lect. hibern. Berol. 18⁷²/₇₃), Ribbeckius (in praefat. edit. p. 21) et Schoenbornius (p. 310) stant. Videamus igitur, quibus singuli argumentis nitantur. Droysenius primum, qui sibi videtur exploratum habere „scaenam dramatis a v. 237 usque ad v. 279 necessario in Dicaeopolidis praedio actam fuisse", ita ut sentiat, adducitur non tam vv. 202 et 203:

ἐγὼ δὲ πολέμου καὶ κακῶν ἀπαλλαγεὶς
ἄξω τὰ κατ' ἀγροὺς εἰσιὼν Διονύσια*)

quam vv. 266 et 267:

ἐκτῷ σ'ἔτει προσεῖπον ἐς
τὸν δῆμον ἐλθὼν ἄσμενος.

Quorum locorum prior sic mihi videtur interpretandus esse: „ego autem bello et malis liberatus agam domum intrans Bacchanalia

*) Haec Bacchanalia celebrabantur mense Januario non a civitate tota, sed a singulis pagis, auspiciis summi cuiusque pagi magistratus nomine Διονύσια τὰ κατ' ἀγρούς sive θεοίνια, cfr. Schoemann. Gr. Staatsalterthümer II, p. 432 seqq.

rustica", h. e. sicut homines rustici agere consueverunt. — Deinde vv. 266 et 267 se gerit pariter, ac si urbe iam relicta in ipsis agris versaretur. —

Ex causis vero, quae efficiunt, ut illius sententia nobis improbetur, gravissimae h. e sunt: Primum idem, qui p. 3 seqq. demonstravit verbo εἰσιέναι „significationem relinquendi scaenam, intrandi domum" inesse solere, hoc loco mutatione scaenae statuta eo deducitur, ut durissima adhibita interpretatione contendat vertendum esse: „rus i. e. domum ibo" (cfr. Schoenborn. p. 311 Anmerk. 1). Haec verba in hunc modum conversa quantopere claudicent, nemo non videt, qui secum reputaverit, oculos spectatorum facere non posse, quin voce „ineundi" audita illud, quo ineatur, scaena repraesentari desiderent. Neque hoc Hauptium effugit p. 4 hac de re sic disserentem: „Dicaeopolis autem, cum v. 202 in domum se introiturum dicit simplicique εἰσιών verbo utitur, non aliam quam urbanam domum intellegit, quae domus per totam fabulam a spectatoribus conspiciebatur." Deinde quod v. 203 Amphitheus de scaena decedens dicit: „ἐγὼ δὲ φευξοῦμαί γε τοὺς Ἀχαρνέας," colligendum nobis est, chorum Acharnensium ad eum locum appropinquare, quo Amphitheus ipse versetur, nempe ad urbem. Cui sententiae si quis obiecerit, chorum non ad urbem usque pergere, sed, postquam Dicaeopolidem conspexerit sacrificantem, ipso ruri remanere, ei respondebimus hoc ideo fieri non posse, quod verba Amphithei cursu exanimati (v. 176 seqq.) atque in ipsam urbem advenientis parum ad rem apta essent, nisi senes Acharnenses vestigiis ejus insisterent. — Porro salutat v. 729 homo Megarensis forum Atheniense: ἀγορὰ'ν Ἀθάναις χαῖρε*); quibus verbis haud facile quisquam non ipsius urbis, sed pagi cuiusdam forum significari sibi persuaserit, quum praesertim paullo post sycophanta superveniat, quos quidem homines in urbe, non in agris circumeuntes calumniando quaestum captavisse constat. Accedit, quod Megarensis v. 829 urbis mentionem facit; unde fit ut dubitari non

*) A qua re non abhorret, quod Dicaeopolis v. 719 de suo foro verba facit (ὅροι μὲν ἀγορᾶς εἰσιν οἵδε τῆς ἐμῆς); etenim statuendum est, eum partem fori urbani domui adiacentem in suum usum saepto circumdare.

possit, quin ibidem adsit (*οἷον τὸ κακὸν ἐν ταῖς Ἀθάναις τοῦτ' ἔνι*); quanquam Droysenius p. 33 „nihil clarius esse ait, quam si Graecus quidam scriptor de Athenis verba faciat, eum non solum ipsam urbem, sed pagos quoque eius in animo habere."

Tum animum inducere non possum, ut cum eodem Droysenio (p. 34) consentiam „poetam grata neglegentia usum esse Lamachi in domicilio describendo". Etenim in domibus Lamachi Euripidisque depingendis poetae — ut mihi quidem videtur — ea cura adhibenda erat, ut quam maxime speciem situmque verum imitaretur, quod plerosque spectatores, illorum domus quomodo ornatae et ubi sitae essent, pro auctoritate virorum non fugisse per se intellegitur (cfr. A. Mueller, Philol. XXIII p. 349: „Richtig weist Schönborn ferner nach, daß es den Hellenen wirklich um Illusion zu thun war" *), Schoenborn. p. 34). Huius curae unum quidem vestigium in ipsis nostrae fabulae verbis exstat. Neque enim fortuito factum esse arbitror, ut domus Lamachi fastigio ornamentis aheneis instructo insignis esset (cfr. v. 1072: *τίς ἀμφὶ χαλκοφάλαρα δώματα κτυπεῖ;*), sed eo consilio, ut speciem quam bellicosissimam praeberet. Huius modi enim ornatum imperatoribus placuisse, e loco Plutarchi (vit. Phocionis c. 18: *ἡ δ' οἰκία τοῦ Φωκίωνος ἔτι νῦν ἐν Μελίτῃ δείκνυται χαλκαῖς λεπίσι κεκοσμημένη*) concludere possumus **). Itaque mihi quidem (cfr. quae supra hac de re disputavimus) procul a vero aberrare videntur, si qui scaenae Graecorum ornatum ei similem fuisse sibi fingunt, quem clarissimus Britannorum poeta iniquitate temporum coactus in fabulis ipsius agendis adhibuisse traditur. Neque pro testimonio habendum est, quod Droysenius affert, Aristophanem in Nubium fabula Strepsiadem Cicynnensem et Socratem Atheniensem vicinos finxisse. Etenim, ut omittam quaerere, quatenus Nubes, quae ad nostram aetatem permanserunt, fabulae revera actae respondeant, vv. 43 et 47

*) Eiusdem viri docti commentariolum, qui inscribitur „die scenische Einrichtung in den Achanern. Osterprogr. des Johanneums zu Lünebg. 1856" inspiciendi potestas mihi non facta est.

**) Cfr. etiam notissimum illud Minervae apud Spartiatas cegnomen „*Χαλκίοικος*" (velut. Eurip. Hel. vv. 228, 245), quod ad similem aedis deae bellicosae speciem referendum esse consentaneum est.

rationem habenti verisimillimum fit, Strepsiadem, postquam nobilissimam virginem urbanam in matrimonium duxerit, ipsis Athenis domicilium collocasse. —

Restat, ut de iis argumentis agamus, quibus Bursianus (Liter. Centralbl. a. a. O.) nititur ad impugnandam Ribbeckii sententiam. Sunt autem quum vv. 202, 203 et 266, 267, quos supra tractavimus, tum quod Dicaeopolis v. 33 seqq. de pago suo praedicat:

στυγῶν μὲν ἄστυ, τὸν δ' ἐμὸν δῆμον ποθῶν,
ὃς οὐδεπώποτ' εἶπεν „ἄνθρακας πρίω" κ. τ. λ.

De quo loco vir doctissimus ita disserit: „Die Ansicht des Ref. beruht darauf, daß er in dem „*ἄνθρακας πρίω*" eine Anspielung auf den gewöhnlichen Ruf, mit welchem die Acharnischen Kohlenhändler durch die Straßen Athens zogen: „Kauf' Kohlen!" sieht, Dikaiopolis also zunächst von seinem Demos rühmt, daß er die Leute nicht wie Acharnae durch sein monotones Geschrei quäle; V. 35 wendet er dann, um die weiteren Vorzüge seines Demos nun im Gegensatze zur Stadt zu schildern, dies *πρίω* so, daß es als Zuruf des Demos an seine Bewohner erscheint." — Huius argumentationis ut posteriori parti assentior, ita priorem partem impugnandam esse duco. Neque enim quemquam, dummodo poetae solius verba pensitaverit, in eam sententiam adduci posse censeo, ut Dicaeopolidem pagum suum alii pago opponere putet. Immo vero his versibus urbs et rus inter se opponuntur, ita ut alterius commoda: quies et copia omnium rerum, alterius incommoda: clamores institorum plateas circumeuntium atque annonae caritas exprimantur. Unde efficitur, vocem *ἄνθρακας πρίω* non ad Acharnenses, sed ad carbonarios quoslibet urbem clamitando frequentantes referendam esse. Itaque scholiastae in v. 34 annotationem: „*τοῦτο Ἀχαρνέων ἴδιον. οὗτοι δὲ πολυάνθρακες καὶ οὐ δεόμενοι παρ' ἄλλων πρίασθαι*" huic rei tribuimus, quod falso Dicaeopolidem Acharnis oriundum esse opinabatur. Quae sententia satis confirmatur adhibita lectione codicis Laurentiani, quem Duebnerus post *ἴδιον* haec addere annotat: „*τὸ λέγειν πρίασο πρίω καὶ ἵστασο ἵστω. ἦν γὰρ ὁ Δικαιόπολις Ἀχαρνεύς.*" Haec si recte conclusisse videmur, sequitur, ut Dicaeopolis verbis illis non ad

Acharnensium, quas Bursianus putat, solitas vociferationes alludere potuerit.

Sed iam ad adversarios illius de scaena mutata sententiae transeamus. Quorum priores Hauptius (p. 5) et Ribbeckius (p. 20 seqq.) mutatam quidem scaenam negant, sed nihilo minus aliquam fabulae partem re, non scaenae ornatu Acharnis actam esse contendunt. Itaque pariter ac Droysenius ad licentiam poeticam statuendam confugere coguntur. Atque Hauptius quidem in hunc modum disputat: „Missis igitur scaenae mutatae et eccyclematum periactorum aulaeorum hic quidem nihil profuturis artificiis statuendum est, Aristophanem a spectatoribus postulasse ut crederent se quae ruri fierent audire et videre satis admoniti illo quod Dicaeopolis dicit *ἕκτῳ σ'ἔτει προσεῖπον ἐς τὸν δῆμον ἐλθὼν ἄσμενος* pariterque ut mox in urbe se esse crederent neque anxie omnia inter se compararent"; idemque infra p. 7: „prodit e domo sua Dicaeopolis, quam rusticam esse iussi a poeta spectatores credunt". Videmus igitur hoc quidem loco virum doctissimum cum illis facientem, qui Boettigerum secuti in scaenae ornatu pleraque cogitationi spectatorum relinquenda esse censent. At quibus ille argumentis confisus in hunc modum disserit? Primum igitur nititur ratione temporum in ipsis Acharnensibus omnem computationem fallente (scilicet quod Amphitheus versibus quadraginta duobus interiectis Lacedaemone redit, et quod prior fabulae pars mense Januario, altera inde a v. 1000 ineunte Martio*) geri videtur); qua in re virum doctissimum offendere eo magis miror, quod continuationis rerum neglectae in reliquis Aristophanis fabulis crebra occurrunt exempla (cfr. Lysistrat. vv. 1013 et 1073, Avium vv. 1693 et 1718 cet.). Deinde quod ad sententiam suam probandam loco ex elegantissimi Gallorum comici exodio, quod inscribitur „la comtesse d'Escarbagnas" deprompto utitur, hoc exemplum nullo modo ad fabulam nostram quadrat, propterea quod embolium illud, quod testimonii loco affert, praeparatum tantum a poeta Gallico fingitur, non revera oculis spectatorum proponitur. —

Ribbeckius autem (p. 21, cfr. etiam commentarii p. 219)

*) Cfr. Schömann, Griech. Staatsalterthümer II. p. 439.

paucis rem absolvit eandem iam ante Hauptium professus sententiam; dicit enim haec: „Aristophanes machte sich die Freiheit der komischen Bühne soweit zu Nutze, daß er der sachlichen Richtigkeit wegen den Dikaeopolis sagen ließ, er begehe das Fest auf dem Lande, während er nach dem Verlaufe der Hauptthandlung ihn gar nicht aus der Stadt entfernte." — Schoenbornius denique (p. 311) similibus eorum, quibus nos supra usi sumus, argumentis nititur, ita tamen, ut brevi rem praecidat. —

His autem, quae de singulorum virorum doctorum sententiis eorumque argumentis exposuimus, satis declarasse nobis videmur, totam scaenam mutatam esse a nobis negari; cui sententiae aliae quoque res suffragantur; primum quod Lamachus atque Euripides in vicinia Dicaeopolidis habitant, deinde quod praeco (v. 1000) Choum ad diem festum celebrandum invitat, porro quod Pittalus medicus (v. 1222) et rex sacrificulus (*ἄρχων-βασιλεύς* v. 1224) in propinquo esse finguntur. Quibus vero scrupulus ille de Bacchanalibus ruri actis etiam nunc inhaeret, eos monemus nihil esse, cur negemus, Dicaeopolidem nondum rus profectum esse, sed in ipso exitu pompam instituentem a senibus Acharnensibus, quominus consilium persequatur, impediri, id quod Ribbeckius (praefat. p. 13) haud inscite statuit. —

Ut autem scaenam totius fabulae ipsis Athenis statuendam esse censemus, ita v. 394 periactum sinistram conversam esse cum scholiasta (*μεταβολὴ γέγονε τόπου ὡς ἐπὶ τὴν οἰκίαν*) nobis persuasum habemus, quanquam Schoenbornius huic sententiae quam maxime repugnat. Dicit enim haec (p. 311): Zu 394 bemerken die Scholien freilich *μεταβολὴ γέγονε τόπου ὡς ἐπὶ τὴν οἰκίαν;* aber wenn diese Worte mehr sagen sollen als: die Handlung wendet sich einem andern Theile der Bühne zu, so ist die Bemerkung falsch. Selbst nicht einmal eine Aenderung der Periakte kann erfolgen; sie müßte die rechte Periakte treffen, aber diese wird nur gewendet, wenn die gesammte Scenerie gewechselt wird (cfr. p. 107: Die linke Periakte hingegen ꝛc.). Opinatur igitur vir doctissimus, regionem — *τόπον* — patriae mutari non potuisse, nisi ipsa patria mutata. At enim nonne modo hic modo ille vicus urbis Athenarum, quae in nostra fabula „patria" est, scaena poterat repraesentari?

Hoc qui infitias eat, inveniri arbitror neminem. Unde fit, ut nihil obstet, quominus scholiastam sequamur statuentem v. 394 periacto versa domum Euripidis in conspectum venisse. —

Jam venimus ad quaestionem de eccyclemate (quam machinam Fritzschius „Quattuor leges scenicae Graecorum poeseos" Lpz. 1858, p. 69 tum adhibitam esse contendit, quum poetae nuntium domesticum — *ἐξάγγελον* — vitare voluerint, id quod mihi probavit), utrum v. 409 locum habuerit necne, iudicandam. Ac Droysenius quidem suo iure Euripidem in solario domus sedentem hac machina in scaenam provolutum esse statuit, confisus scilicet planis scholiastae (in v. 408) poetaeque ipsius verbis. Schoenbornius contra (p. 311), num hoc factum sit, dubitat, „quum exemplis careamus eius machinae sublime adhibitae"; quamobrem contendit, verbo *ἐκκυκλήσομαι* poetam nullo alio consilio usum esse, nisi ut tragicos poetas ratione ornatui scaenico accommodata perstringeret, neque tamen ostendit, quemadmodum illi ea ceterisque machinis usi sint. At enim ratione habita Pollucis (IV, §. 128: *καὶ τὸ μὲν ἐκκύκλημα ἐπὶ ξυλῶν ὑψηλῶν βάθρον, ᾧ ἐπίκειται θρόνος κ. τ. λ.*) et Suidae (s. v. *ἐγκυκλήθητι*) dubitari non potest, quin histriones hac machina in conspectum venientes semper super ipsum pulpitum elati apparuerint. Quare Schneiderus (p. 93) in eum errorem deducitur, ut statuat, eas res solas, quae superiore aedium parte continerentur, hoc modo in scaenam inductas illamque machinam in comoedia sola adhibitam esse, quae opinio et ipsa gravissimis veterum interpretum testimoniis refellitur. — Recte vero Weckleinius (p. 451): „Die Anwendung des Ekkyklems in Aristophanes Thesmoph. v. 95 und Acharn. v. 408 ist eine Parodie des Gebrauchs dieser Maschine in der Tragödie." — Nos igitur cum Droysenio statuimus, Euripidem v. 409 machina in scaenam provolutum ac v. 479 eodem modo post scaenam revolutum esse. — Idem vero quod v. demum 572 dextrae periacti retro rotationem annotat, id nobis non probatur, quoniam Dicaeopolis iam v. 489 (cfr. v. 486) in pristinum locum — scilicet in mediam scaenam — rediit, coram choro pannis Euripideis fretus de pace recuperanda peroraturus. Quae quum ita sint, nobis persuasum est, simul atque Euripides ipse e conspectu abscesserit,

domum quoque eius cerni desitam esse, dextra periacto in priorem statum conversa. — Porro Schoenbornius, quanquam v. 394 eccyclema locum habuisse negavit, nihilo secius eadem machina v. 1003 opus fuisse contendit, ut Dicaeopolis epulas apparans in conspectum veniret, quae opinio neque interpretum testimoniis neque re ipsa commendatur.

Nunc ad periactorum usum venimus, de quibus neque Schoenbornium neque Droysenium rem satis expedivisse existimamus. Schoenbornius enim semel sinistram rotatam esse annotat (p. 307), Droysenius (p. 39) non nisi eam, de qua supra occasione oblata disputationem anticipavimus, dextrae periacti conversionem commemorat. Videamus igitur, et quemadmodum ornatae et quotiens conversae esse videantur. Atque in sinistra quidem periacto primum regionem urbis ad septentriones vergentem — potissimum portam Acharnensem —, quod ab illa parte Acharnae sitae erant, depictam fuisse, ita ut e longinquo Parnes mons appareret (cfr. Pollucis l. IV, §. 133: *κατεβάλλετο δὲ ἐπὶ τὰς περιάκτους ὄρος δεικνύντα κ. τ. λ.*), putaverim. Deinde v. 729 adveniente homine Megarensi conversa (cfr. Schoenborn. p. 107, Pollucis l. IV, §. 126: *ἡ δεξιὰ μὲν ἀμείβει τόπον**) speciem regionis suburbanae ad occasum solstitialem vergentis, qua ex regione ille veniret necesse erat, potissimum viae sacrae per Eleusina Megara ferentis, praebuisse videtur. Tertio, id quod Schoenbornius et ipse statuit, v. 860 vertenda erat atque in pristinum quidem statum, quandoquidem homo Boeotius ab eadem, qua Acharnenses, parte in urbem intravit.

Reliquum est, ut de Amphitheo ad Lacedaemonios misso agamus. Atque in hac quidem persona inducenda poetam neque tempora neque loca diligenter observavisse nobis concedendum est, quoniam et hominem intra quadraginta duos versus Lacedaemonem profectum indidemque reversum facit et redeuntem in Acharnenses incidere fingit, quanquam non Acharnensi, sed Eleusinia porta in urbem introiret necesse erat. Quodsi hanc neglegentiam minus grandem poetae comico condonamus, ille,

*) Hanc nos, ut supra dictum est, sinistram appellamus.

quem supra statuimus, sinistrae periacti ornatus optime quadrat ad fabulae argumentum. Etenim Agricolam (v. 1018), cui Boeotii boves abegerunt, porta Acharnensi in urbem introire eademque Lamachum (v. 1141) proficisci cum iisdem Boeotiis proeliaturum, res ipsa demonstrat. —

De dextra denique periacto, in qua domus Euripidis depicta erat, v. 394 conversa ac v. 479 retro rotata iam supra disputavimus. —

Postquam haec de scaena universa exposuimus, placet paucis lineis adumbrare, qualis eius species animo nostro obversetur:

E	C	A*)	B	D
rus	domus Lamachi	domus Dicaeopolidis in media scaena sita	Pnyx	vicus quidam Athenarum foro vicinus.

Δ

periactus sinistra portam Acharnensem indicans usque ad v. 729; inde usque ad v. 835 viam sacram repraesentans; post hunc versum in pristinum statum retro versa.

Δ

periactus dextra, in qua av. 394 usque ad v. 480 domus Euripidis comparebat; in reliqua fabula plateam aliquam urbis significabat.

Deinde quod attinet ad ianuas, quibus histriones aut intrantes aut exeuntes usos fuisse verisimile est, ut in universum Droysenio (p. 38 seqq.) assentimur, ita de singulis rebus compluribus ab eo dissentimus. Cur enim legatos a Persarum rege reversos, Pseudartabam cum spadonibus, Theorum, auxilia Odomantum per ianuam rus significantem intravisse putemus, nihil causae est. „At veniunt illi quidem ex terris externis“ inquiet Droysenius. Num igitur putat eos eodem temporis puncto, quo comitia habebantur, rediisse, an comitia post eorum adventum a magistratibus indicta esse, ut de rebus gestis referrent? Non dubium est, quin „post adventum“ respondeat. Ergo concedendum ei erit, illos ex urbe venire atque a dextra in scaenam prodire sive per B sive per D ianuam, ut nominibus a Droysenio usurpatis utar (cfr. Schoenborn. p. 310). Cui sententiae si quis obiecerit singulis scaenae ianuis eam vim inesse,

*) Singulas ianuas iisdem, quibus Droysenius, litteris notavimus.

ut spectatores, prout histriones hac aut illa ianua in proscaenium prodeant, homines Graecos aut barbaros, indigenas aut peregrinos exspectare consueverint, eum monemus legatos navi, non pedibus Athenas advenisse putandos esse; itaque etiamsi recte illud observaverit, nobis concedet, eiusmodi homines a dextra per D aditum in scaenam prodire (cfr. Pollucis l. IV, §. 126: ἡ δ' ἀριστερὰ τὰ ἐκ πόλεως, μάλιστα τὰ ἐκ λιμένος· καὶ θεούς τε θαλαττίους ἐπάγει κ. τ. λ.; Schoenborn. p. 71). — Porro Dicaeopolidem ipsum non per E, sed per A ianuam v. 202 abire, ex iis, quae de scaena non mutata supra disputavimus, per se intellegitur. — Nec magis verisimile est, quod Droysenius statuit, Lamachum ianua, quam B dicit, in conspectum venisse, ut aliis verbis dicam: hoc loco domum imperatoris depictam fuisse. Etenim histrioni Lamachi personam agenti secundae partes tribuendae sunt (cfr. Beer. p. 60). Atqui secundum Pollucem (IV, §. 124: ἡ δὲ δεξιὰ — θύρα — τοῦ δευτεραγωνιστοῦντος καταγώγιον) *) domum eius histrionis, si qua opus erat, a dextra parte valvarum regiarum sitam fuisse oportet. Est autem satis perspicuum, quomodo in hunc errorem delapsus sit. Opinatur enim (cfr. p. 38) eam, quam B dicit, ianuam revera dextram esse. Unde sequitur, ut eum fugiat, apud veteres scaenae ianuis (exceptis quidem orchestrae aditibus, παρόδοις, qui a parte theatri appellabantur) nomen dextrae aut sinistrae inditum esse, proinde atque histrionibus ibi agentibus a dextra aut sinistra apparebant, (cfr. Schoenborn. p. 73), qua re eo magis offendimur, quod nomina a Polluce periactis indita recte nostris significationibus mutavit. Ex iis igitur, quae protulimus, patet, nos Lamachum eiusque ministrum ianua, quam Droysenius C dicit, intrantem et exeuntem facere. — Porro ex nostra de eccyclemate v. 394 adhibito et periacto, quam nos dextram dicimus, versa sententia sequitur, ut Euripidem non ipsum in scaenam prodiisse, famulum autem eius D ianua usum esse statuamus. — Cum Schoenbornio denique consentimus, Agri-

*) Cfr. Schoenborn. p. 70 haec verba ita interpretantem: — — so ist ὁ δευτεραγωνιστῶν die dem Range nach zweite Person des Dramas, die durch diese Thür zu ihrer Wohnung, wie sie im Drama für sie erforderlich war, gelangte.

colam, qui v. 1018 Boeotiorum rapinas conquerens in conspectum venit, non D janua, sed a sinistra scaenae parte — rure scilicet — advenisse eodemque v. 1036 abiisse, qua de re disputatione opus non esse videtur. —

Superest, ut exquiramus, quemadmodum histriones fabula peracta scaenam reliquerint. Ac Droysenius quidem (p. 58) eam profitetur sententiam, ut illos quum in aliis, quas nominatim affert, fabulis, tum in nostra comoedia una cum choro per orchestrae parodos exire dicat. Quod ut in Acharnensium fabula Schoenbornium secuti factum esse negemus, duae causae efficiunt; primum quod in iis duabus fabulis, in quibus histriones hoc modo abiisse constat — in Vespis et Ecclesiazusis — insolitus ille mos ipsis poetae verbis indicatur (cfr. Vesp. v. 1514 *καταβατέον γ' ἐπ'αὐτούς;* itemque vv. 1516 et 1517 *φέρε νυν ἡμεῖς αὐτοῖς ὀλίγον ξυγχωρήσωμεν ἅπαντες, ἵν'ἐφ'ἡσυχίας ἡμῶν πρόσθεν βεμβικίζωσιν ἑαυτούς;* porro Ecclesiaz. v. 1152: *ἐν ὅσῳ δὲ καταβαίνεις, ἐγὼ ἐπάσομαι μέλος τι μελλοδειπνικόν*); deinde quod poeta in Vesparum fabula quadam quasi excusatione opus esse duxit, ut sibi liceret hoc modo fabulam finire, quum haec dicat, (v. 1535 seqq.):

ἀλλ' ἐξάγετ', εἴ τι φιλεῖτ', ὀρχούμενοι θύραζε
ὑμᾶς) ταχύ· τοῦτο γὰρ οὐδείς πω πάρος δέδρακεν,*
ὀρχούμενον ὅστις ἀπήλλαξεν χορὸν τριγῳδῶν.

Etenim hoc loco verbum *τοῦτο* non, id quod scholiasta facit, ad saltationem chori exeuntis, sed ad histriones in orchestra saltantes referendum est. —

Quoniam igitur haec obstant, quominus histriones in orchestram descendisse putemus, statuimus Dicaeopolidem paullo post Lamachum cum duabus puellis dextro scaenae aditu abiisse, choro per dextram orchestrae parodum sequente. —

Jam postquam de aditu exituque histrionum et inter agendum et in fine fabulae totius egimus, quaestionem de ornatu histrionum instituamus, ita ut et poetae ipsius et scholiastarum verbis observatis pro virili parte certiores fieri studeamus, quo illi vestitu induti fuerint et quas res secum in scaenam attulerint, nec peculiarem domuum singularum, si quem indagare

*) Fortasse *ἡμᾶς* legendum est.

possimus, ornatum neglegamus. — In principio igitur fabulae (v. 25) quaeritur, quomodo verba *περὶ πρώτου ξύλου* accipienda sint, in quibus interpretandis Ribbeckius quidem sibi non constat, altero loco (p. 22) de scamnis ligneis, altero de sedibus in saxo incisis cogitans (p. 193). Eodem modo scholiastae inter se discrepant. Verum ut observatis Equitum versibus 754 et 783 dubitari non potest, quin revera cives in comitiis vivo saxo insederint, ita facile apparet, in apparatu scaenico scamna lignea adhibita esse (cfr. Ribbeck. p. 22), quae v. 173 comitiis dimissis nullo negotio auferri poterant (cfr. etiam Mueller-Struebing „Aristophanes und die historische Kritik" p. 692 et 693, qui post hunc versum scaenam mutatam esse censet — A. v. Velsen, Philol. Anzeiger Jhrg. 1875 p. 392). — Eam autem, quam Droysenius p. 34 profitetur, sententiam de prytaneo ante „valvas regias" conspecto cur sequi non possimus, illis, quae supra de scaena non mutata exposuimus, demonstratur. —

Deinde Dicaeopolidis prologo finito magistratus in scaenam prodeunt (v. 40), quos e vestigio magna plebis turba sequitur (v. 42), sibi quisque primum locum petentes, dum praeco populum in comitium sollemni modo sacratum (cfr. schol. v. 44) procedere jubet. Postquam vero Amphitheus quidam de pace facienda perorare coepit, praeco (v. 54 cum schol.) sagittarios Scythas arcessit, qui hominem turbulentum abigant. Quo facto (v. 61) idem legatos ad regem Persarum missos adesse iubet, qui mirum in modum exornati sunt, barbarorum habitum affectantes (cfr. schol. v. 61 in fine: *πρέσβεις δὲ οὗτοι εἰσὶν οἱ περὶ τὸν Μόρυχον ἐμπλησθέντες τρυφῆς* et v. 63 *ἢ ὅτι πορφύρας ἔχουσι καὶ τιάρας;* item v. 64). Hos comitatur Pseudartabas cum duobus spadonibus (cfr. v. 91 et v. 117), monstrose personatus (v. 95 c. schol.). Etenim Cyclopis speciem prae se fert (cfr. Woldem. Ribbeckii commentar. p. 199), corium demissum barbae instar in facie ostendens, unde os eius ab homine simplici columbario navis comparatur (v. 97 c. schol.)*). Dicaeopolis vero naturali

*) Bursianus „Liter. Centralbl. Jhrg. 1864 p. 88" non de barba, sed de phallo vocem *ἄσκωμα* adhibitam esse arbitratur; dicit enim: „Der ganze Kerl ist als ein großes Auge costümirt, trägt aber dabei den Phallos."

quadam sagacitate non destitutus in suspicionem de genuino Pseudartabae legatorumque habitu incidit, praesertim quum homines more Graecorum annuentes viderit (v. 115 cum schol.). Itaque postquam unum ex spadonibus, cuius barbam satis longam deprehendit — nisi forte verbis *τοιόνδε δ', ὦ πίθηκε, τὸν πώγων' ἔχων* per ironiam utitur, nempe penem illius monstrans — Clisthenem hominem effeminatum agnovit, minacibus verbis in Pseudartabam invehitur, si infitias iverit, vapulaturum affirmans. Cuius rei ut fidem faciat, baculum, quo ipse utitur (cfr. Ecclesiaz. v. 74 cet. Vespar. v. 32 seqq. c. schol.; Becker. Chariclis I, 394 et II, 214), monstrat, non se ipsum, ut scholiasta (in v. 112) opinatur. Neque improbabilis est Ribbeckii sententia, eunuchos personis Clisthenem et Stratonem imitantibus ornatos in scaenam prodiisse (cfr. v. 118 et v. 122). Interim Amphitheus e Scythae manibus elapsus iterum turbae hominum se immiscuit, cui Dicaeopolis ad se vocato octo drachmas in manus dat (v. 130), quarum beneficio pacem sibi a Lacedaemoniis redimat. Quo rus Lacedaemonem versus profecto (cfr. quae supra hac de re disputavimus), praeco Theorum, legatum Atheniensium ad Sitalcem, Thraciae regem, missum evocat, ut coram populo legationis rationem reddat; quem non sine comitibus in medium prodire eo verisimile fit, quod mos erat Athenis plures legatos delegare (cfr. v. 61, Avium v. 1565 seqq., Lysistr. v. 1073 seqq.), cui rei suffragatur, quod v. 136 plurali numero utitur (neque enim Dicaeopolidis responsio: *εἰ μισθόν γε μὴ 'φερες πολύν* impedimento esse potest, quoniam his verbis in principem solum legationis invehitur). Ille vero, quo rem bene gessisse videatur, et alia et auxilia Odomantum a Sitalce concessa iactat, quae statim in conspectum veniunt (v. 156). Sunt autem mercennarii peltis armati (v. 160), speciem hominum imbecillium ac famelicorum praebentes; quos Dicaeopolis eo magis contemnit, quod penibus mutilatos cognovit (cfr. schol. in v. 158). At illi Atheniensem visu insolito defixum et caepia, quorum copiam ex penu victus causa secum attulit (cfr. schol. v. 163) *), nihil curantem fame

*) Cur eum ex agris venire putemus, id quod scholiasta monet: *δεῖ νοεῖν ὅτι ἐκ τῶν ἀγρῶν ἔρχεται ὁ Δικαιόπολις κ. τ. λ.*, nihil causae esse videtur. —

instigati spoliare coeperunt. Quod ille ubi animadvertit, latrones aliquamdiu frustra deturbare conatur; tandem vero per dolum rem eo deducit, ut contione dimissa Thraces abire iubeantur. Quo facto reliquias caepium colligenti Amphitheus supervenit (v. 175) fuga exanimatus (v. 176), sed re bene gesta. (Is autem minime per parodum sinistram proprie sic dictam intrat, sed sinistra ianua post periactum sita; Ribbeckius, qui illud statuit, verba Pollucis IV. 127 de choro accipienda de actoribus falso intellexit, qua de re conferas Schneider. §§. 113 et 185, Sommerbrodt. pp. 131 et 136, Schoenborn. p. 75). Etenim indutiarum loco tria vasa vinaria secum portat (v. 178), quae ex ordine (vv. 188, 191, 194) Dicaeopolidi porrigit; quibus hic singulis gustatis (vv. 192, 196) tertium sibi deligit (v. 199) *). Tum alter domum suam abit, alter denuo fugam capessit, senibus Acharnensibus prope instantibus. Ac vixdum dextra scaenae ipsius parodo (*ἡ ἄνω πάροδος* a Graecis appellatur) in latebras aliquas urbis effugit — non in domum Dicaeopolidis, id quod Schoenbornius p. 310 statuit, neque per eam, quam Droysenius E dicit, ianuam, — quum senes bellicosi sinistra orchestrae parodo (quae a Graecis *ἡ κάτω πάροδος* appellatur) iracundi irrumpunt, civem pessimum insectantes. Atque hic quidem Droysenius manifesto errat, quod chorum per dextram, quam F dicit, parodum intrasse annotat (cfr. Pollucis l. IV, §. 127: *οἱ δὲ ἀλλαχόθεν πεζοὶ ἀφικνούμενοι κατὰ τὴν ἑτέραν***) — *πάροδον* — *εἰςίασιν*). De ordine autem, quo choreutae in orchestram ingrediuntur, qui quidem duplex sive *κατὰ στοίχους* sive *κατὰ ζυγά* esse potest (cfr. Pollucis l. IV, §. 109), R. Arnoldt („Die Chorpartieen bei Aristophanes, scenisch erläutert, Lpz. 1873" p. 185) exposuit, eos nostra fabula *κατὰ ζυγά* — h. e. sex ordinibus e quaternis choreutis compositis — dispositos in orchestram ingressos esse. Idem quae de distributis singulis in singulos choreutas versibus disserit (p. 30 seqq.), propterea quod acuminis plena sunt, nobis probantur. Statuimus igitur cum viro doctissimo, certos versus a cuiusque ordinis duce, quem

*) Hoc loco scholiasta nugatur de mulieribus cogitans (v. 198).
**) Prius de dextra parodo egerat. —

Graeci ἀριστεροστάιην dicunt, recitatos esse, ita ut vv. 204—208 primo (apud Arnoldtium: ά), vv. 209—218 secundo (β΄), vv. 219—224 tertio (γ΄), vv. 225—232 quarto (δ΄) tribuerentur. Sed hanc rem accuratius expedire a consilio huiusce opusculi abhorret, quare satis habemus ad librum eius, quem supra commemoravimus, subtilissimum delegavisse. —

Dum igitur chorus, quem insectandi studio inflammatum in orchestram accucurrisse et poetae verba et scholia docent (cfr. schol. v. 204: παράγονται δὲ συντόνως μετὰ σπουδῆς διώκοντες τὸν Ἀμφίθεον; et infra: — — — ἐπειδὰν δρομαίως εἰσάγωσι τοὺς χορούς) carbones sarcinasque umeris portans (cfr. schol. v. 211) ac moleste ferens, quod senectute gravis tardius incedat, per totam orchestram Amphitheum exquirit, v. 237 Dicaeopolis e domo sua prodit, rei divinae faciendae causa vas sacrum in manu gestans (cfr. schol. v. 239: ὁ σπονδοφόρος). Quem ille ubi conspexit (v. 238), vociferationibus abstinens in recessum orchestrae se subducit, imprudenter appropinquanti insidias paraturus. Dicaeopolis autem pompam instituit ita quidem, ut filia canistrum*) primitiis omnium frugum refertum (cfr. schol. v. 242) gestans antecedat (v. 242), sequantur servi cum phallo erecto (vv. 242 et 260), ipse agmen claudat. Deinde in pulpitum progressus filiam iubet canistrum deponere, deum invocaturus (v. 244), cuius simulacrum in media orchestra collocatum fuisse constat. Hoc autem loco de Hauptii sententia agendum est, qui (p. 8) ordinem versuum mutandum esse censet, cuius rei equidem causam invenire non potui. „At enim, inquit vir doctissimus, post v. 246 sacrificium ipsum peractum iri exspectamus.“ Exspectamus sane; atqui peragi quoque rem divinam videmus preces antecedentem oblato scilicet panificio (cfr. schol. in v. 246: τοῦ Ἰλατῆρος· ἔστι δὲ ἄρτος πλατύς, ἐν ᾧ τὸ ἔτνος ἐτίθεσαν καὶ προσῆγον τῷ βωμῷ; vide etiam Schoemann, Griech. Staatsalterth. II. p. 201). Priusquam igitur pater Bacchum precibus adoret, filia, quae in gradum arae in ipsa scaena positae ascen-

*) Hoc scholiasta (in v. 242) aureum esse affirmat, nullis poetae verbis adiutus; nisi forte sibi finxit verba: μή τις λαθών σου περιτράγῃ τὰ χρυσία (v. 258) non ad ornatum puellae, sed ad instrumenta sacrificii referenda esse.

disse videtur (cfr. vocem ἀνάδος et, quae iam memoravi, schol. in v. 246), matrem sibi trullam porrigere hortatur, qua pultem panificio dei placandi causa oblato infundat. Re divina autem peracta — etenim verba καὶ μὴν καλόν γ' ἔστ' ad nullam aliam rem nisi ad sacrificium bono omine peractum referri posse satis demonstratur Avium v. 1118 et Xenoph. Anabas. III, 2, 9; V, 6, 29; VI, 5, 21 — pater precatur. Quo facto pompa ipsa instituitur (v. 253 seqq.) et filia iubetur austero vultu praecedere auroque, quo more sollemni exornata erat (cfr. Schoemann, Griech. Staatsalterth. II, p. 415), ne privetur operam dare. Uxor vero domum redit, de plano tecto pompam procedentem spectatura (v. 262). Tunc autem, phallico carmine a Dicaeopolide cantato, chorus non iam sibi temperat, sed v. 280 agmen lapidibus, quibus sinus palliorum completos habet, (cfr. v. 184), obruere coepit; unde filia cum servo perturbata domum aufugit. Dicaeopolis contra non sibi quidem, sed ollae, quam pulte refertam manibus gestat, timens (cfr. schol. in v. 284) primo magnam trepidationem prae se fert; mox animo recepto (v. 331) corbe carbonum plena, quam Acharnenses ut carbonarii secum attulerunt (cfr. quae supra hac de re diximus), obsidis loco potitur, unde illi summo dolore afficiuntur. Itaque efficit, ut lapides humum abiciant (v. 342)*); quo facto, postquam choreutae palliis excussis „cordacem“ ducere inceperunt, et ipse cultrum, quo corbem discindere parabat, recondit (v. 345). — Wold. Ribbeckius de gladio loquitur, sed minime veri simile est, hominem pacis amantissimum hoc belli instrumento instructum esse — iisque corbem restituit, cuius pulvere (v. 350) vestem ipsius maculatam esse praedicat. — Deinde ubi senes condicionem super mensa lanionia de pace perorandi acceperunt, ille hanc e domo allatam in scaena collocat (v. 366). Et hoc quidem loco pauca de verbi ἰδού apud Aristophanem usu inserere liceat. Duplici enim sensu a poeta adhibetur. Primum et saepissime quidem significat, hominem res ab alio sive flagitatas porrigere sive imperatas facere, ita ut Latinorum „ecce“, Italorum

*) Ceterum festivitati huius loci simillima sunt, quae in Thesmophor. (v. 690 seqq.) de rapto utre vinario leguntur.

„ecco“, Gallorum „voilá“, nostro „zu Befehl“ respondeat. Neque autem raro idem verbum per ironiam usurpatur (cfr. Equit. v. 87, Nub. vv. 818, 872, 1469), ita ut nostris „so? wirklich? meinst du?“ similem sensum habeat. Iam igitur Dicaeopolis perorare incipit, ingentem de eventu metum non dissimulans. Quoniam autem v. 367 de se verbo *τυννοῦτοσί* utitur, probabile est, actorem eius partes agentem statura humili fuisse (cfr. schol. v. 366 et v. 368: *ἐπειδὴ βραχύς εἰμι*; item Nub. v. 392). Ceterum histrio hoc loco poetae ipsius causam dicit (cfr. v. 377), in quem Cleon priore Babyloniorum comoedia exasperatus graviter animadverterat. Iam vero homo pacis amantissimus, quanto in discrimine versetur, haud ignarus ab Euripide, cuius domum in propinquo sitam tunc periacto sinistra conversa in conspectum venire supra demonstravimus, pannos tragicos petere constituit. At ianuam pulsanti Cephisophon, cuius ille in omnibus rebus consilio utebatur (cfr. schol. in Ranar. vv. 944, 1408), domo reclusa dominum sese arcessiturum esse negat (cuius nomen cur Ribbeckius Elmsleii coniecturam secutus delendum esse sibi persuaserit, equidem non video, praesertim quum scholia Ranarum eundem hominem servum operumque Euripidis socium fuisse affirment). Quare Dicaeopolis ad preces confugit, quibus poeta delinitus (v. 409) se eccyclemate in scaenam provolvi patitur. Ac conspicitur quidem in solario aedium sedens, cruribus sursum porrectis (cfr. Bursian. Liter. Centralbl. Jahrg. 1864 p. 88); scilicet morum antiquorum contemptor ne decorum quidem servabat totus in meditando, sicut homines Americani nostrae aetatis istam quam opinantur libertatem prae se ferentes neglegentia quadam habitus ostentata ceteris populis humanitate imbutis praestare sibi videntur. — Iuxta autem poetam veste lacera indutum (v. 412) librorum copia, vestes personaeque tragicae coacervatae apparent. Iam postquam Dicaeopolis, cur venerit, aperuit, poeta complures deinceps fabularum suarum personas suo quamque ornatu praeditam petenti monstrat: Oeneum (cfr. schol. v. 418: *ὡς προκειμένου τοῦ προσώπου Οἰνέως*), Phoenicem, Philoctetam, Bellerophontem (cfr. schol. in v. 426: *ἔκειτο γὰρ καὶ πλησίον τοῦ Βελλεροφόντου* — sc. *ῥάκια* —); nisi forte statuendum est, eum ipsum heroum,

quos nominat, partes suis gestibus expressisse, cfr. Thesmophor. v. 871 seqq.*). Ille vero partes Telephi sibi deligit, cuius vestem laceram Euripidis iussu Cephisophon — cui verba: *ἰδοὺ ταυτὶ λαβέ* contra Ribbeckii sententiam reddenda esse puto — petenti in scaenam effert. Hanc, postquam satis perforatam esse cognovit (v. 435), grato animo induit (cfr. Ribbeckii annotationem in versum quem numerat 405), Iovis auxilium implorans, ut sibi speciem quam miserrimam infundat (cfr. Droysen. p. 37: „Omnium in conspectu versu 435 seqq. Dicaeopolidem vestimenta mutasse in propatulo est“). Neque tamen dono accepto contentus etiam pileum herois flagitat (v. 438 seqq.**). Quo ab ipso Euripide porrecto (v. 445) baculum quoque mendici petere audet. Iterum poeta morigeratur (v. 449); quin etiam sportam lucernae ab homine insatiabili postulatam ex copia sua concedit (v. 456). Vasculum porro curtum precibus illius instantibus defatigatus ministrat; ollulam denique spongiis confertam praebet (v. 465). Postremo, ut hominem molestissimum amoveat, folia leguminum arida invitus addit (v. 470). Quo facto Dicaeopolis paullum a domo recedens reliquis quisquiliis ab Euripide acceptis — pileo, baculo cet. — sese ad misericordiam quam maxime movendam exornat. Hoc agens animadvertere simulat (v. 473), se rei gravissimae ac prorsus necessariae oblitum esse. Quare illuc regressus scandicem insuper flagitat. Unde tandem poeta sese ludibrio haberi certior factus ianuam aedium claudi iubet (cfr. schol. in v. 479) atque ipse cum domo sua eccyclemate e conspectu abducitur.

Iam Dicaeopolis mediam in scaenam reversus novo habitu fretus de salute sua ac pace cum Lacedaemoniis ineunda perorare coepit (v. 496), capite mensae lanioniae imposito (v. 492). Atque oratione eius finita dissensio inter senes oritur, quorum ille aliquam partem in suam sententiam perduxit. Itaque chorus

*) Ribbeckius (p. 221) annotat: „Bei *οὗτοσί* muß Euripides auf eine Puppe oder irgend eine bildliche Darstellung des Bellerophon zeigen, nicht auf eine Rolle mit der Tragödie.“ At non neurospastum aliquod, sed personam heroi propriam monstrare videtur (cfr. schol.).

**) Huius loci scholiasta actores suae aetatis admonet, quod Telephum sine pileo in scaenam inducere consueverant.

in duas partes discedit, quarum altera belli etiam tunc studiosa hominem adoriri parat; cui incepto ubi altera obstitit (v. 564), Lamachus, imperator audacissimus ac manu promptissimus, ab hominibus bellicosis auxilio evocatur (v. 566). Hic clamoribus litigantium auditis e domo sua per B ianuam prodit, ad bellum ornatus (cfr. vv. 572 et 592), clipeum Gorgonis insigni distinctum (cfr. schol. v. 574) galeamque tribus cristis instructam (cfr. v. 965) gestans. Nec dubium esse potest, quin poeta imperatorem persona naturae eius consentanea indutum (nos: „in Charaktermaske") in scaenam introduxerit, cui rei satis multae res testimonio sunt (cfr. Duebneri Prolegg. de comoedia I, v. 80: *ἐν μὲν γὰρ τῇ παλαιᾷ — κωμῳδίᾳ — εἴκαζον τὰ προσωπεῖα τοῖς κωμῳδουμένοις, ἵνα, πρίν τι καὶ τοὺς ὑποκριτὰς εἰπεῖν, ὁ κωμῳδούμενος ἐκ τῆς ὁμοιότητος τῆς ὄψεως κατάδηλος ᾖ*; cfr. etiam Suid. s. v. *ἐξεικασμένος*. item Equit. v. 230 c. schol., Schneider. §. 173 p. 157). Dicaeopolis autem aspectu Gorgonis attonitus precibus impetrat, ut (v. 583) Lamachus clipeum resupinum humum deiciat cristamque galeae ipsi porrigat (v. 585), qua ad exspuendum ioci causa usurus est (cfr. schol. in v. 584). Altercatione deinde inter eos exorta ille senes Acharnenses digitum ad singulos intendens testes evocat (v. 609) iniuriae bellatoribus canis illatae. Tum uterque domum suam abit (vv. 602 et 625), choro parabasin incipiente, in qua quem statum obtinuerint choreutae R. Arnoldt (p. 186) plane demonstrat. Hac absoluta Dicaeopolis iterum e domo procedit, cuius in fronte partem scaenae saepto quodam — funibus fortasse usus — ut forum suum circumdat (cfr. Schoenborn. p. 312), agoranomos flagella tria lorea instituens (cfr. vv. 724 et 968 cum scholiis „*λέγει δὲ τοὺς ἱμάντας*") quae alicubi in area domus collocat. Quo facto ipse domum redit, unde columnam pacis condicionibus inscriptam afferat ac palam proponat. Interim (v. 429) homo Megarensis cum filiolis duabus fame maceratis (cfr. v. 737) a parte ruris sinistra scaenae ipsius parodo ingreditur — cur eum cum Ribbeckio per orchestram intrantem faciamus, nihil causae est — forum salutans; quas quo facilius cariusque vendat, pater ungulis et rostris suillis indutas (vv. 740 et 745) in saccum immittit. Hac re gesta Dicaeopolidem voce accit. Qui ubi e

domo processit, certior factus Megarensem porcos sacrificando aptos secum apportasse venum dandos (v. 765), eos ostendi iubet. Ille igitur unam ex filiolis e sacco depromptam ex pedibus sustinet atque Atheniensi cognoscendam porrigit. Quo facto, ut eorum, quae contendit, fidem faciat, filiolam cogit, more suum grunnire (v. 769), minatus, se eam, ni id fecerit, domum secum reportaturum esse. Iam postquam hanc Atheniensi minus placere intellexit, alteram monstrat (cfr. v. 788 c. schol. in v. 789). Is autem, ut est providus pater familias, temptaturus, si cibum quemlibet comedere velint — sunt autem verba eius ambigua, ita ut etiam de rebus venereis accipi possint, cfr. schol. in v. 801, — puerum caricas aliquot domo efferre iubet (v. 805), quas filiolae magno cum ardore devorant. Quin etiam pater famis explendae causa unam ex caricis de solo collectam comedit (v. 810). Quo viso Atheniensis emere eas constituit domumque abit (v. 814), unde pretium a patre postulatum, fascem caepium et duos sextarios (*χοίνικα*) salis apportet (v. 813). Sed vixdum ille abiit, quum sycophanta quidam a dextro scaenae latere superveniens re comperta crimen ad magistratus se delaturum esse praedicat saccumque Megarensi adimere conatur. Quam ob rem homo trepidus Dicaeopolidem auxilio evocat. Qui statim illis, quos agoranomos constituit, flagellis arreptis sycophantam abigit (v. 825). Hac re gesta Megarensi pretium mercis tradit (v. 831) ac valedicit. Ille igitur eo, unde venit, pergit; Dicaeopolis cum merce empta domum se confert. — Deinde post canticum chori absolutum periacto sinistra retro versa homo Boeotius eadem ac Megarensis ianua in scaenam prodit, corbem olerum, avium aquaticarum, piscium, ferarum in regionibus palustribus nascentium plenam umero portans (cfr. schol. in v. 860). Sequitur minister pulegio aliisque oleribus onustus; tibicines denique Thebani agmen claudunt (v. 864 c. schol.). Hi ubi spe quaestus moti tibiis canere inceperunt, Dicaeopolis iratus e domo proruit eosque flagello proturbat. Consentaneum autem est, tibicines pariter ac sycophantam in dextram scaenae partem aufugere ibique per D ianuam e conspectu abire. Contra idem Boeotium laeto animo salutatum de mercibus apportatis percontatur. Atque inprimis anguillarum avidus est; quarum

Boeotius eius voluntati obsecutus grandissimam ac pinguissimam ex sacco depromptam Atheniensi in manus dat (cfr. v. 884 c. schol. in v. 885). Cuius homo aspectu oblectatus servos e domo cum foco et folle adesse jubet. Ac simul cum iis tota familia accucurrisse videtur, cui pater gloriabundus piscem delicatum ostentat (v. 889); ostentatum domum inferri iubet (v. 893). Hoc autem uno portorii loco gratiis sibi vindicato ceteras Boeotii escas empturum se profitetur, pretium per iocum sycophantam offerens. Atque ad tempus Nicarchus, homo id genus, accurrit (v. 908), quem eundem ac priorem sycophantam esse et a poeta peculiari persona conspicuum induci probabile est (cfr. quae p. 28 de Lamachi persona disputavimus). Is statura quidem humili (v. 909), sed ingenio pessimo insignis, cuius illae merces sint, ex advena quaerit, qui rem fatetur. Qua de re certior factus homo importunus iterum nomen rei ad magistratus se delaturum crepat, et propter alia et quod ellychnia importaverit. At Dicaeopolis nugis istius sonoris exasperatus manum infert, ac nequiequam circumstantes de iniuria illata testanti servum os opprimere iubet; ipse autem vinculum vimineum postulat, quo malum istud tanquam frumenti manipulum colligat (cfr. v. 927). Tum arte vinctum Boeotio tradit, qui eum ministri tergo auferendum imponit (v. 955). Quo facto ambo cum magno isto mercium venum datarum pretio in patriam redeunt. Dicaeopolidem vero domum introire parantem minister Lamachi B ianua in scaenam progressus (v. 959) revocat seque ab hero una drachma, quam illi monstrat, diei festi Choum celebrandi causa (cfr. Schoemann. Griech. Staatsalterth. II. p. 441) turdos aliquot et tribus drachmis anguillam Copaidem mercari iussum esse explicat. At ille se venditurum denegat, et cum mercibus paullo ante coemptis domum pergit; minister re infecta Lamachi domum revertitur.

Itaque scaena actoribus vacante chorus canticum in honorem Dicaeopolidis, pacis auctoris, incipit. — Is autem interim domi epulas apparans pennas volucrium evulsas ante ianuam abicit (cfr. v. 989 c. schol. *). Cantico deinde finito praeco cum tuba

*) Elmsleius cur hoc loco mutam Pacis personam inductam esse putaverit, nescio.

(cfr. schol. in v. 1004) a dextra parte per D ianuam in scaenam prodit Choum diem festum celebrari iubens. Quo audito Dicaeopolis, quem hucusque per apertam domus ianuam epulas apparantem conspectum esse probabile est (cfr. Droysen. p. 36: „Ianua porro opus erat mobili, quum per eam saepissime Dicaeopolis eiusque familia domum vel intrarent vel relinquerent“), domo egressus familiam totam servos servasque cohortatur, ut strenuam coquendo, epulis apparandis, coronis nectendis operam navent. Atque ea quae sequuntur non in culina ipsa — id quod Wold. Ribbeckius ad v. 1007 annotat — neque in aula, ut Schoenbornius (p. 313) ad eccyclema adhibitum confugiens contendit, aut in corte, de qua Droysenius (p. 36) cogitat, sed ante ipsam aulae ianuam in propatulo agi arbitror. Etenim ut Ribbeckii sententiae impedimento est, quod culinam in postica domuum Graecarum parte sitam fuisse constat (qua de re Beckeri Caricl. I. p. 194 conferas), ita nostrae favet, tum quod Dicaeopolis iam supra (v. 888) focum follemque sibi efferri iussit, tum quod sic supersedemus eccyclemate, cuius hoc loco nulla neque apud poetam neque apud scholiastas mentio fit, statuendo (cfr. etiam v. 1045). Dicaeopolis igitur a servis adiutus summo studio epulas apparat ac v. quidem 1007 verua afferri iubet, quibus turdi vulsi infigantur et assentur (v. 1012); alii autem servo imperat, ut ignem excitet. Cui rei intervenit agricola quidam nomine Dercetes (v. 1028), bello diutino afflictus tristitiamque prae se ferens et caecitatem oculorum simulans (v. 1027), scilicet E ianua progressus; quo magis Dicaeopolis miratur eum veste candida indutum esse, sicut mos erat pagi Phylasii (cfr. schol. in v. 1024) *), unde homo rusticus se oriundum esse postea aperit (v. 1028). Precanti vero, ut guttam saltem pacis in specillum aheneum, quod in manu ille gestat, instillet, (v. 1034 c. schol.), ne tantillum quidem se concessurum respondet, ita ut homo miserrimus re desperata eodem, unde advenit, abire cogatur (v. 1036). Dicaeopolis autem coquum farcimini

*) Eiusdem coloris veste lugubri Syracusanos Argivosque usos esse testis est Plut. vit. Timol. c. 39, 2: *Προϋπεμπον δὲ* (sc. *Τιμολέοντα ἀποθανόντα*) *πολλαὶ μυριάδες — — — πάντων ἐστεφανωμένων καὶ καθαρὰς ἐσθῆτας φορούντων;* id. quaestt. Roman. c. 26: *ἐν Ἄργει λευκὰ φοροῦσιν ἐν τοῖς πένθεσιν.*

mel infundere sepiasque igni apponere iubet (v. 1040), aliis servis anguillas assandas demandat, aliis carnem torrendam, ita ut vicinos chorumque odoribus carnium per aera emanantibus fame enicet (v. 1045 c. schol.). At iterum interpellatur a paranympho (v. 1047), qui homini beato iussu sponsi carnes nuptiales dono praebet (v. 1049), illud beneficium reposcens, ut sibi in vasculum, quod porrigit, belli quoddam remedium infundat (v. 1053). Quo is cognito carnes aspernatus de pace se quicquam concessurum esse negat. Subito vero animadvertit nympheutrian, quae una cum paranympho aggressa ei quiddam sponsae nomine in aurem insusurrare vult (v. 1057)*). Cui ille re comperta se officiosum praestat et de indutiis — vino scilicet — a servo allatis paullum in alabastrum infundit. Tum postquam ambo in dextram scaenae partem, unde venerant, abierunt, indutias domum referri iubet cotulamque poscit, qua vinum in cantharos infundat (v. 1067). Haec dum aguntur, nuntius a dextra per D ianuam in scaenam progressus ad domum Lamachi accedit superciliis allevatis (v. 1069) — nempe pro temporis discrimine, — ut iussu magistratuum ducem ferocissimum ad bellum evocet, ipsumque ianuam vehementer pulsans clamitansque domo excitat (v. 1072). Is vero die festo se exturbari indigne ferens insuper a vicino irridetur, qui oculis eius locustam quattuor alis praeditam, quod genus maxime in palustribus Boeotiae regionibus gignebatur (cfr. v. 870: *ἀλλ' εἴ τι βούλει, πρίασο, τῶν ἐγὼ φέρω, τῶν ὀρταλίχων, ἢ τῶν τετραπτερυλλίδων.*), tamquam hostem Boeotium obtendit**) (cfr. scholl. in vv. 871, 1082, 1116; Wold. Ribbeckii interpretatio — p. 259 — minus probabilis esse videtur). Interim alter nuntius a dextra in scaenam procedit (v. 1084), Dicaeopolidem nomine sacerdotis Liberi ad epulas invitaturus, ad quas eum cistam escarum plenam cantharumque secum apportare iubet (cfr. schol. in v. 1086); quo facto eodem, unde venerat, abit. Ille vero ad Lamachum conversus (v. 1095) eum iure plecti monet, quod Gorgonem in clipeo depictam sibi

*) Eam personam mutam fuisse testis est scholiasta in v. 1056 his verbis: *κωφὸν δὲ εἰσάγεται τὸ πρόσωπον τῆς νυμφευτρίας.*

**) Ceterum poeta comicus hoc loco in certum Euripidis versum iocari videtur, nempe in Hercul. furent. v. 1272: *Γηρυόνας ἢ Γίγαντας ἢ τετρασκελῆ — — —.*

patronam delegerit (cfr. schol. in v. 1095 cum Pacis v. 684; item Schoemann. Griech. Staatsalterth. I. p. 355); tum ministro imperat, ut rebus ad coquendum adhibitis occlusis cibos subministret*). Sequitur spectaculum festivissimum, altero, quicquid ad epulandum, altero, quicquid ad bellandum opus est, servum ipsius afferre iubente. Imperator igitur primum (v. 1097) panarium — nos: Brodbeutel —, Dicaeopolis cistam domo sibi efferri iubet; tum ille salem thymosum (v. 1099) et caepia, hic salsamenta (v. 1100); ille carnem salitam putrem folio ficulneo involutam (v. 1101), hic folium ficulneum adipe refertum (v. 1102), ille duas cristae pennas (v. 1103), hic palumbes et turdos (v. 1104): quibus allatis alter pulchritudinem pennae struthocameli albae, alter bellam delicatamque palumbis carnem laudat. Porro dux capsam trium suarum cristarum (v. 1109), Dicaeopolis patellam carnis leporinae plenam poscit (v. 1110). Haec omnia a servis utriusque ultro citroque commeantibus in scaenam apportari per se intellegitur. Quo facto ille capsam perlustrans cristas a tineis corrosas esse deprendit (v. 1111), hunc cupido incessit minutal leporinum comedendi. Porro Lamachus iterum a vicino irrisus servum sibi hastam efferre iubet (v. 1118), hic farcimen. Iam ille servo adiuvante hastam theca exuit (v. 1120), hic interim farcimen veru detrahit (v. 1121 cum scholiis); deinde ille arietem, in quo clipeus a militibus lassis imponi solebat, requirit (v. 1122 cum scholl.), hic panificia rotunda (v. 1123); ille clipeum ipsum imagine Gorgonis ornatum (v. 1124), hic placentam caseo admixtam (v. 1125), quam a servo allatam blandis oculis perlustrat (v. 1127). Ille vero, postquam minister ipsius iussu oleum clipeo infudit (cfr. schol. in v. 1128)**), quo magis refulgeat, simulat se in eo quasi in speculo speciem senis ignaviae accusati — nempe Dicaeopolidis bellum detrectantis — renidentem videre; hic contra se in placenta, quam melle superfundi iussit, senem Lamachi minas nihil morantem aspicere affirmat (v. 1130). Tum

*) Ribbeckius vocem *σύγκλειε* de foribus obserandis intellegit; cui sententiae obstat; quod servulus versibus insequentibus identidem domo exit, cfr. vv. 1008, 1133; unde efficitur valvas etiamtunc apertas esse.

**) Ad quem v. scholiasta haec annotat: *εἰσὶ γάρ τινες, οἳ ἐν ἐλαίῳ ὁρῶντες μαντεύονται· οὕτως ὁ Σύμμαχος.*

ille thoracem postulat (v. 1132), hic cantharum (v. 1133), uterque quo sese ad certamen futurum armet; ille sarcinas ad clipeum (v. 1136), hic cibaria ad cistam alligari iubet (v. 1137). Lamachus denique panario recepto (v. 1138), Dicaeopolis pallio sumpto (v. 1139) de scaena decedit; utrumque autem minister sequitur, illum armiger, hunc cibaria portans. — Nivem vero, quam dux abiens (v. 1141) cadere commemorat, utrum artifices scaenici aliquo modo spectatorum oculis proposuerint necne, quoniam nulla veterum testimonia exstant, diiudicare non ausim. Ceterum facile apparet Lamachum per sinistrum scaenae aditum: E ianua, Dicaeopolidem — corona fortasse ridimitum cfr. v. 1145 — per dextrum: D ianua e conspectu abscedere. —

Sic igitur scaena vacua relicta chorus alteram eamque breviorem parabasin agere coepit. Ac satis probabile est, choreutas ea, quae v. 1149 proferunt, illustrandi causa phallos, quibus comoediae veteris actores et choreutas ornatos fuisse supra dictum est, monstrare (qua de re conferas Nubium vv. 537 seqq., 734). Cantu deinde finito minister Lamachi rure per E ianuam in scaenam accurrit (v. 1174) et ante domum heri subsistens magna voce servos excitat. — Paullo post imperator ipse indidem accedit male saucius, sive servis innixus, sive — id quod Ribbeckius statuit — ferculo gestatus; pedem enim hasta percussus (v. 1194) cadendo luxavit (v. 1179) frontemque saxo illisit (v. 1180), unde tuber grande contraxit (v. 1181); cristam denique superbam amisit (v. 1182). Longe aliam speciem Dicaeopolis praebet ab adverso latere eodem fere temporis puncto adveniens. Etenim certaminis potatorii victorem (v. 1202) puellae duae amplectuntur, quarum ille mammas satis petulanter contrectat (v. 1199) atque oscula flagitat (v. 1200). Lamachum vero miserabiliter lamentantem conspicatus (v. 1206) ebrietate delinitus laetis clamoribus salutat; ac dum ille fortunam miseram queritur, cum hoc puellae lascivae proterve iocantur;*) dum ille, quum se prae dolore vix sustinere possit, comites rogat, ut se manibus sublevent (v. 1215), hic

*) Vv. 1207 seqq. sic legendos esse: *ΛΑΜ. σινγερὸς ἐγώ. ΔΙΚ. τί με σὺ κνυεῖς; — ΛΑΜ. μογερὸς ἐγώ. ΔΙΚ. τί με σὺ δάκνεις;* Bergkius in praefatione editionis recte observavit.

scorta ad officium longe aliud sibi praestandum hortatur (v. 1217): ille animo relinquitur (v. 1218), hic concumbere cupit; ille a ministris se ad Pittalum, medicum peritissimum*), gestandum curat (v. 1222), hic ad arbitros bibendi efferri vult (v. 1225). — Itaque dux saucius, cuius visceribus hastile inhaesit, in dextram partem D ianua aufertur (v. 1226); Dicaeopolis contra, qui se cantharum meri plenum uno impetu hausisse (v. 1229) gloriatur, utre victoriae praemio a rege sacrificulo recepto (v. 1227, cfr. etiam scholium in v. 1224) a choro celebratus triumphantis ritu tropaeum prae se ferens dextra scaenae parodo abit; eum chorus subsequitur cantans ac per eundem orchestrae aditum e conspectu decedens (cfr. quae supra hac de re disputavimus).

II. de re scaenica Avium.

Huius fabulae scaenam non mutatam fuisse, sed a principio usque ad finem unam eandemque mansisse plerique viri docti consentiunt; nec quicquam causae est, cur nos ab hoc consensu discrepemus. Unus enim Schoenbornius haud facile efficiet, ut ei credamus scaenam praesente choro, cuius rei num aliquod exemplum reperiatur nos quidem dubitamus, post v. 1553 mutatam esse. Profert autem vir doctissimus (p. 321) haec: „Die Bühne ist jetzt leer, und während der Chor ein Spottlied singt, welches auf die dargestellte Handlung keine Beziehung nimmt, erfolgt zwischen 1553 und 1564 die Aenderung der Scenerie. — — Das am meisten Auffallende ist aber freilich die Umänderung der Scenerie, während der Chor in der Orchestra anwesend ist, wozu sich ein Analogon nicht beibringen läßt.“ Quid igitur est, cur sibi persuasum habeat, ad rem prorsus insolitam confugiendum esse? Nihil aliud profecto nisi fabulosa illa avium urbs nuper condita, quam revera in scaena depictam fuisse contendit, quanquam concedit neque apud poetam ipsum neque apud scholiastas quicquam de specie eius inveniri (cfr. p. 321): „Ueber das Aussehen der Vögelstadt fehlen bestimmte Andeutungen im Stücke wie in den Scholien; aber sicher ist als Mittelstück der Scenerie eine vorn offene Küche anzusehen, in der Peithetairos überaus thätig ist“ cet.). Quid mirum, etenim facile est demonstratu eam omnino nullam

*) Cfr. Vespar. v. 1432.

fuisse (cfr. argumentum II, v. 10: *ὑποτίθεται γὰρ περὶ τον ἀέρα πόλιν τῆς γῆς ἀπαλλάσσων*). Itaque recte Droysenius (p. 55) „Iris dea, inquit, de coelo in terram devolatura (cfr. v. 1210) nec portas eius nec moenia vidit, quum tota esset ex auris exstructa omninoque Pisthetaeri eiusque amici et avium animis esset ficta.“ Atque in eundem modum Bursianus disserit (Sitzungsberichte der kgl. bayer. Akademie der Wissenschaften, Philosoph.-philolog. Classe vom Jahre 1875 p. 381: „Sie — Iris — will ruhig durch die neue Stadt, die als ächtes Luftschloß von ihr gar nicht bemerkt wird, hindurchfliegen.“ Cui sententiae tum narratio nuntii prioris de ratione condendi (v. 1133 seqq.), ex qua totum inceptum nihil nisi somnium ad vanitatem Atheniensium ipsorum perstringendam fictum esse intellegitur, tum verba nuntii alterius de Iridis adventu indicantis testimonio sunt. Neque enim in urbem, sed „in aera“ illam involasse narrat v. 1173: *διὰ τῶν πυλῶν εἰσέπτατ' εἰς τὸν ἀέρα;* idem aethera impetu insectantium *) quassari affirmat vv. 1182 et 1183:

ῥύμῃ τε καὶ πτεροῖσι καὶ ῥοιζήμασιν
αἰθὴρ δονεῖται τοῦ θεοῦ ζητουμένου.

Porro chorus inter se non ut urbem, sed ut aera custodiat, cohortatur v. 1190 seqq.:

ἀλλὰ φύλαττε πᾶς ἀέρα περινέφελον, — —
μή σε λάθῃ θεῶν τις ταύτῃ περῶν.

Nec minus perspicuum est, quod Pithetaerus v. 1218 dicit: (*διαπέτει*) *διὰ τῆς ἀλλοτρίας καὶ τοῦ χάους* (cfr. schol. in v. 172: *καλεῖ νῦν πόλιν τὸ περιέχον ἅπαν*), porro praeco v. 1277: *αἰθέριον οἰκίσας πόλιν.* Non minimum denique nostrae sententiae argumentum est, quod v. 183 seqq. de loco habituque urbis condendae Pithetaerus in hunc modum disserit:

ἢν δ' οἰκίσητε τοῦτο καὶ φράξηθ' ἅπαξ (scil. *τὰς νεφέλας καὶ τὸν οὐρανόν* cfr. v. 178),
ἐκ τοῦ πόλου τούτου κεκλήσεται πόλις.

Eodem spectant vv. 551 et 552:

κἄπειτα τὸν ἀέρα πάντα κυκλῷ καὶ πᾶν τουτὶ τὸ μεταξὺ
περιτειχίζειν μεγάλαις πλίνθοις ὀπταῖς ὥσπερ Βαβυλῶνα;

itemque v. 995:

*) Avium scilicet.

γεωμετρῆσαι βούλομαι τὸν ἀέρα κ. τ. λ. et v. 1140: *ὕδωρ δ' ἐφόρουν κάτωθεν ἐς τὸν ἀέρα.*

Suffragantur denique nostrae sententiae quam maxime scholia in vv. 951 et 1126, ubi haec leguntur: *ἐπειδὴ ἐν τῷ ἀέρι τὸ πλάσμα τῆς οἰκοδομῆς — ὑποτίθεται* et infra: *τοιαύτη* (h. e. *μόνον ὑπόσχεσις*) *δὲ καὶ ἡ τοῦ τείχους οἰκοδομή.* —

At, dicat aliquis, licet haec ita se habeant, nonne verbis Neptuni vv. 1565 et 1566:

τὸ μὲν πόλισμα τῆς Νεφελοκοκκυγίας
ὁρᾶν τοδὶ πάρεστιν, οἷ πρεσβεύομεν.

necessario efficitur, ut deum urbis aliquam speciem in scaena repraesentatam conspexisse putemus? Cui rei Droysenius ita occurrit, ut contendat Neptunum versus illos recitantem digitum sursum intendisse sociisque auram esse nobile illud avium oppidum monstrasse; quem nos libenter sequimur, quoniam eiusmodi sententia et optime ad sensum loci illius quadrat et omnem de urbe illa fabulosa scrupulum eximit. — Postquam igitur eandem tota fabula scaenam adhibitam esse demonstravimus, qualis illa fuerit, breviter exponamus verbis poetae fisi. Ac praebebat quidem scaena speciem solitudinis saltuosae (cfr. v. 1 cum scholl. et argumentum III: *ἡ δὲ σκηνὴ ἐν πέτραις καὶ ὀρνέοις*) *) inviaeque (v. 21; cfr. etiam scholl. in v. 1: *ὡς ἐν ἀπόπτῳ δένδρου τινὸς ὄντος* et in v. 20: *ὅπου ἐστὶ τόπος πετρώδης*), amplius mille stadia Athenis distantis (v. 6) h. e. nusquam terrarum sitae (cfr. Bursian. Sitzungsberichte cet. p. 379), arboribus denique distinctae (v. 1). — Mediam autem scaenam, quam leniter acclivem fuisse statuendum est (cfr. vv. 50 et 51), nidus upupae in saxo situs tenebat (v. 54), arboribus virgultisque oculos spectatorum celatus (cfr. vv. 92 et 202 c. scholl.; item v. 642: *εἰς νεοττιάν γε τὴν ἐμήν*). Droysenius vero quod (p. 55) juxta mediam portam — nidum scilicet upupae — culinam sitam fuisse statuit, probare nobis non potuit. Etenim eiusmodi quoddam aedificium nequaquam vastae illi solitudini responderet, ac potius risum moverent Athenienses duo vagi simulantes se nus-

*) Auctorem argumenti I. errare, quum dicat: *ἡ σκηνὴ ἐν Ἀθήναις* nemo non videt.

quam vestigium animantium conspicari, culina ex propinquo apparente.*) Neque magis verisimilia sunt, quae Schoenbornius (p. 318) de aedificio Procnes a latere sinistro sito conicit, quum haud facile quisquam (ut avium mores omittam) uxorem in alia atque mariti domo habitantem sibi fingat. — Deinde quod ad machinas in fabula agenda adhibitas attinet, quaestio exsistit, quomodo v. 1718 Pithetaerum — huius actoris nomen sive sic sive „Pisetaerus", non „Pisthetaerus" scribendum esse Dobraeus Dindorfiusque, viri de Aristophanis fabulis emendandis bene meriti, observaverunt — de coelo descendisse putemus. Qua in re ratione habita Pollucis IV, 128:

„ἡ μηχανὴ δὲ θεοὺς δείκνυσι καὶ ἥρωας τοὺς ἐν ἀέρι, Βελλεροφόντας ἢ Περσέας."

et Suidae in vocem ἐώρημα annotantis:

— — „ἐν αὐτῇ δὲ κατῆγον τοὺς θεοὺς καὶ τοὺς ἐν ἀέρι πολοῦντας"

dubitari non potest, quin machinam illam, cui et αἰώρημα et κράδη — in comoedia — nomen est, in episcaenio sitam (cfr. Schneider. §. 117) adhibitam fuisse statuendum sit, ita ut Pithetaerus cum Basilissa Jovis ipsius ornatu insignibusque indutus, choro hymenaeum cantante, desuper in scaenam demitteretur, in quam sub v. 1755 descendit. — Eodem modo Iridem quoque, deorum nuntiam (v. 1197), in scaenam delatam esse cum Droysenio Schoenbornioque verisimillimum puto, testibus usus et poetae ipsius verbis v. 1190 seqq.: ἀλλὰ φύλαττε κ. τ. λ. et scholiasta ad v. 1197 annotante: „πεδαρσίου: μετεώρου, πετομένου, παρὰ τὸ ἐκ τοῦ πέδου αἴρεσθαι." —

In fine denique dramatis κεραυνοσκοπεῖον et βροντεῖον adhibita esse ipsius poetae verba secuti (v. 1748 seqq.) pro certo affirmare possumus; quibus de machinis Schneider (Attisches Theaterwesen §. 122 et §. 123) et Sommerbrodt (Scaenica p. 156 et p. 157) Pollucis testimonio innisi (l. IV, 130) copiosius disseruerunt. — Reliquum est, ut de periactis in Avium fabula adhibitis agamus, quam rem paucis absolvere possumus, quod

*) Nec minus huic sententiae obstat, quod culinam in postica parte aedium graecarum sitam fuisse notum est (cfr. p. 32).

iis vertendis opus non erat. Consentaneum autem est dextra nubes aetherisque quandam regionem, sinistra regionem terrestrem saxosam ac proclivem depictam fuisse. —

Iam eo res deducta est, ut quaeramus, quibus ianuis singuli actores prodeuntes atque abeuntes usi sint. Hic vero inprimis monendum est ianuas illas tres, quas in plerisque fabulis oculis spectatorum in conspectum venire constat, in nostra omnino non conspici, scaenae ornatu obtectas; atque duas quidem ex iis, quas dicunt „hospitales", ab utroque latere „valvarum regiarum" sitas (cfr. Schneider. §. 106) tota fabula non usurpari, qua in re a Schoenbornio dissentimus, qui alteram in domum Procnes, alteram Nephelococcygiam ferre opinatur (p. 318) — quod cur faciamus, ex iis, quae supra de universae scaenae ornatu disputavimus, manifestum fit. — Ex duobus autem „itineribus versurarum", ut Vitruvii verbis utamur, sinistro homines Athenis venientes, dextro deos et quicunque aut in aethera abierint aut inde advenerint, usos esse per se intellegitur. Scaenae igitur ianuis actores in nostra fabula prodeuntes his tribus usi sunt, quas paucis lineis adumbrare non alienum esse videtur:



Deinde quod ad singulorum actorum aditus exitusque definiendos pertinet, non desunt, quae nobis Droysenius (p. 58 seqq.) non probavit. Ac primum quidem cur Athenienses ineunte fabula scalis ab orchestra in scaenam efferentibus (de quibus conferas Pollucis l. IV, 127) usos esse statuamus, id quod ille p. 56 contendit, non modo nihil causae habemus, verum etiam ipsis veterum testimoniis, quominus id faciamus, prohibemur (cfr. Schoenborn. p. 75; item Pollucis l. IV, 123: καὶ σκηνὴ μὲν ὑποκριτῶν ἴδιον, ἡ δὲ ὀρχήστρα τοῦ χοροῦ). At quomodo in hanc ille opinionem deductus est? Nititur verbis poetae (vv. 1 et 20), quibus edo-

cemur Athenienses jussu graculi *ὀρθὴν ὁδόν* et sursum ascendere. „Hoc ut fieri possit, necesse esse affirmat, inde ex orchestra per scalam in pulpitum escendant". At enim scaena a sinistro latere ita instructa esse poterat, ut speciem saxorum paullatim assurgentium praeberet, quorum in cacumine nidum upupae fruticibus obtectum fuisse nobis fingere debemus (cfr. schol. in v. 50: *ὡς ἄνω αὐτῆς — κορώνης — νευούσης ἐπί τινα τόπον ὑψηλόν*). Quae quum ita sint, nobis cum Schoenbornio (p. 318) persuasum habemus, eos per sinistrum illum aditum superiorem, quam ianuam Graeci *τὴν ἄνω πάροδον* appellant, ut supra dictum est, in scaenam prodire. — Illud contra recte statuit Droysenius, quattuor aves agmen totum antecedentes (cfr. vv. 268, 274, 279, 287), quas musicorum vices explere Wieselerus demonstravit, una cum choro dextra orchestrae parodo, quam Graeci *τὴν κάτω πάροδον* appellant, prodiisse. — Quod vero Manodorum et Xanthiam (v. 656) non Atheniensium servos, sed scaenicos quosdam ministros esse contendit, nobis scholiastam planis verbis contradicentem sequentibus (*ὀνόματα τῶν οἰκετῶν μετὰ τῶν πρὸς ὄρνιθας ἀφικομένων*) probare non potuit; sequitur igitur, ut hosce homines non D neque E ianua prodiisse atque exiisse existimemus, sed una cum dominis A ianua nidum upupae intrantes faciamus. — Porro Euelpides v. 847 non E, sed D ianua scaena decedat necesse est, quippe qui in aethera (v. 837), nequaquam in terram abeat. Contra suo iure Droysenius, quicunque ex terra adveniant, E ianua uti statuit*). Sed quod v. 1121 nuntium de aedificatione urbis aetheriae relaturum eadem via uti opinatur, iis, quae supra disputavimus, refellitur. Immo facile est intellectu eum aditu, quem D dicimus, accurrere atque in eandem partem abire. Idem in nuntium alterum v. 1170 accurrentem et v. 1186 exeuntem cadit. Tum Iridem a superis missam machina in episcaenio collocata in dextram scaenae partem demissam v. 1259 per E ianuam ad homines pergere (cfr. v. 1230) — qua in re statuenda ut cum Schoenbornio consentimus, ita a Droysenio dissentimus — satis manifestum est. Nec minus patet praeconem (v. 1270) per eandem

*) Qua Athenienses quoque usos esse supra demonstravimus.

ianuam prodire atque officio functum iussu Pithetaeri (v. 1310) domum abire. Item filium impium hoc aditu exituque uti (vv. 1337 et 1371), porro Cinesiam (v. 1372) Athenis adventientem, tum sycophantam indidem (v. 1410) accurrentem verberibusque (v. 1468) deturbatum adeo in promptu est, ut disputatione egere non videatur. — Cinesias vero quod (v. 1409) discedit praedicans:

„ἀλλ' οὖν ἔγωγ' οὐ παύσομαι τοῦτ' ἴσθ' ὅτι,
πρὶν ἂν πτερωθεὶς διαδράμω τὸν ἀέρα"

in dextram scaenae partem — nempe ad fabulosam avium urbem — abire videtur, unde repulsam latam nihil moratus pennarum beneficium petat. Deorum denique legationem (v. 1565), perinde ac paullo ante (v. 1494) Prometheum, D, non E ianua — id quod Droysenius annotat — scaenam intrasse ac reliquisse, quis est quin concedat? Item nuntium (v. 1706) de Pithetaeri et Basilissae adventu chorum edocentem, sicut hos ipsos — quos machina demitti supra demonstratum est — a dextro scaenae latere in conspectum venire manifestum est. —

Restat, ut sententiam nostram de exitu actorum chorique in fine totius fabulae, quomodo factus sit, profiteamur. Qua quidem in re non Droysenio assentimur, qui (p. 60) actores una cum choro in orchestram descendisse et parodo alterutra exiisse contendit, nullo huius opinionis argumento prolato. Statuimus igitur, Pithetaerum cum Basilissa saltantem (v. 1761)*) nuptiarum celebrandarum causa per dextrum scaenae aditum — scilicet in avium urbem, cfr. v. 1757: *ἐπί τε πέδον Διός* — abire, choro per eandem orchestrae parodum sequente. Ut autem Schoenbornium („beide gehen 1762 in das Haus") de actorum exitu sequi nequeamus, eo efficitur, quod scaenam v. 1565 mutatam esse negamus. —

Iam postquam de scaena universa, de machinarum periactorumque usu, de ianuis, quibus histriones aut prodierint aut exierint, egimus: venimus ad ornatum histrionum choreutarumque ac singulas res in scaena conspectas explorandas. Qua in quae-

*) Cfr. scholion in v. 1758: — — *εὐκαίρως δὲ τὴν κωμικὴν ὄρχησιν ποιεῖται.* —

stione pertractanda eandem, quam in superiore fabula, rationem sequemur, vel poetae vel scholiastarum verbis confisi. —

Ineunte igitur fabula in scaena Athenienses duo aetate provecti (cfr. vv. 320, 337, 627, 1256, 1401 cum scholiis, item argumenta) conspiciuntur, ex quibus alteri Euelpidis, alteri Pithetaeri nomen inditum est*) (cfr. argumenta), a sinistro latere per gradus occultos in mediam scaenam escendentes, quam editam fuisse et scholiasta (v. 50) testatur et verba Pithetaeri (v. 175): *βλέψον κάτω* documento sunt — his enim efficitur, ut regionem montuosam repraesentatam fuisse statuamus, cuius ex cacumine etiam despicientibus aer ante oculos versabatur — Euelpides autem prior in scaenam escendit (cfr. argumentum I, v. 6: *ὁ δὲ Εὐελπίδης, ὃς καὶ πρότερος ἄρχεται*), speciem viri simplicis colonique prae se ferens (cfr. v. 585). Dominos deinde sequuntur servi duo sarcinis onusti (v. 657). Atque illi quidem ducibus utuntur duabus avibus, quas manibus ferunt (v. 8): Euelpides monedula (schol. in v. 1), Pithetaerus cornice (v. 7 cum scholl.), ex quibus alteram auspicii causa, alteram ad stipem cogendam Athenis emerunt**). Praeterea varia supellectile onusti sunt (v. 43): canistro, olla, frondibus murteis, quibus rebus partim ad sacrificandum, partim ad impetus avium pro-

*) Huic nuper Eduardus Hillerus in commentatione de Aristophanis Avium locis quibusdam composita p. 4 seqq., quam indici scholarum in universitate litteraria Gryphiswaldensi per semestre hibernum anni 1875/76 habendarum praescripsit, nomen Stilbonidis tribuendum esse censuit. Cui viro docto quominus assentiamur et planis poetae verbis et ipsa re impedimur. Etenim ut ei concedimus nihil singulare insolitumve in illo nomine inesse, ita contendimus solitam nominis patronymici vim mansisse atque *ὦ Στιλβωνίδη* (v. 139) vertendum esse: fili Stilbonis, testimonio usi verborum v. 142: *ὧν ἐμοὶ πατρικὸς φίλος*. Accedit quod comiti credulo unum Euelpidis nomen a poeta inditum esse reperimus ex ipsa naturae indole petitum. Itaque alteri quoque simile quoddam nomen tribuendum erat, cui rei nomen Pithetaeri vel maxime respondet. Ratione denique habita reliquarum Aristophanis fabularum pleraque personarum fictarum nomina eadem lege a poeta composita esse intellegimus, velut Dicaeopolidem, Agoracritum, Strepsiadem, Trygaeum, Lysistratam, Praxagoram.

**) Cfr. Schoemann Staatsalterth. II. p. 253; schol. in v. 7: *ὁ δὲ κορώνην διὰ τὴν χρείαν*; unde fit, ut vox Graeca *κορωνιστής* mendicum significet.

pulsandos usuri sunt (cfr. schol. in v. 43). Haec autem uterque veru alligata portare videtur (cfr. v. 389), sicut milites iter facientes sarcinas hastae affigere solebant*). — Dum igitur progrediuntur, monedula hiat (v. 20), quod Euelpidi omen per avia saxorum pergendi esse videtur (v. 21). Quare ambo obstupefacti consistunt; atque Euelpides ad spectatores conversus (v. 30) verba facit de consilio, quo ipsi perducti peregrinationem tam periculosam tamque longinquam capessiverint. Interpellatur autem a Pithetaero, qui cornicem suam sursum suspicere observavit (v. 49), unde comes monedulam acrius intuens idem facere animadvertit (v. 50). Constituunt igitur clamando et saxa pulsando (v. 56 seqq.) experiri, si quem animantem excitare possint. Quo facto statim Trochilus (cfr. schol. in v. 60), Terei ianitor, per „valvas regias" virgultis abditas in conspectum venit, ingenti rictu conspicuus (cfr. v. 61 c. schol.: *ἐπεὶ πρόσωπον ὀρνέου ἐποίησεν ὁ ὑποκριτὴς ἔχοντος τὸ ῥάμφος κεχηνός*), cuius subito visu Euelpides attonitus prae metu alvum exonerat (cfr. v. 66 c. scholl.: *λέγει δὲ ὡς ὑπὸ τοῦ δέους ἐναφεικώς***); item schol. in v. 68: — — *παρὰ τὸ φαίνεσθαι αὐτοῦ τὸ σκῶρ*). Atque aegerrime Athenienses ab eo impetrant (v. 84), ut domum ingressus dominum expergefaciat. Interim advenae soli in scaena relicti ad se redeunt et cornicem monedulamque occasione oblata sibi e manibus avolasse animadvertunt, (v. 86 seqq.). Mox upupa ipsa domo procedit, pennis rarissimis, sed variis (vv. 102 et 103), rostro monstroso (v. 99), crista triplici (v. 94 c. schol.) insignis; quam illi aspectam etiam magis extimescunt. (Rectissime quidem scholiasta in v. 104 annotat, upupam capite solo pennigeram, alioqui homini simillimam esse: „*παρόσον ἄνθρωπος ἐξελήλυθε μὴ ἔχων πτερὰ πλὴν τῆς κεφαλῆς ὄρνιθος ἐπτερωμένης*": contra alius scholiasta in v. 94 annotans manifesto errat, quod de pennarum densitate verba facit: *ἔστι γὰρ τῇ πτερώσει τὸ ὄρνεον κατάπυκνον*). Animis deinde receptis Athenienses causa veniendi exposita ab upupa petunt, ut sibi urbem aliquam optabilem atque ad bene beateque vivendum idoneam indicare velit. At postquam nulla

*) Cfr. etiam Xanthiae in Ranarum fabula habitum huic simillimum.

**) Ceterum hoc loco scholiastae multa nugantur.

ex illis, quas enumerat, iis probata est, Pithetaerus, qui aliquantisper conticuit secum deliberans, v. 162 novum repente consilium in medium profert de avium vitae ratione mutanda atque una omnium urbe condenda. Upupae autem locum huius urbis requirenti imperat, ut quoquoversus oculos detorqueat. Quo facto illa nihil nisi nebulas coelumque conspicatur (v. 178), quam quidem regionem Pithetaerus incolendam ac moenibus saepiendam esse censet. Quod consilium blandum ubi socius eius credulus statim probavit (v. 193), constituunt, ut auctor urbis condendae contionem avium de re nova edoceat *). Quam ob rem upupa virgulta in posteriore scaenae parte repraesentata (vv. 202 et 207) petit, unde lusciniam cantando excitatam arcessat (cfr. Eurip. Helen. v. 1107 seqq., inprimis v. 1111). Cuius cantui statim vox illius avis respondet, ita quidem ut tibicen post scaenam collocatus partes eius expleat (cfr. quod verbum „*αὐλεῖ*" annotatum est, itemque scholiastae ad v. 222 verba: *μιμεῖταί τις τὴν ἀηδόνα ὡς ἔτι ἔνδον οὖσαν ἐν τῇ λόχμῃ*. Tum upupa iterum cantando ceteras aves allicere coepit (cfr. schol. in v. 237: *μιμούμενος πάλιν τὴν φωνὴν τῶν ὀρνέων καλεῖ αὐτὰ ὁ ἔποψ*), quarum diversa genera diversis adhibitis numeris adesse iubet. Postquam autem canere desiit, una ex avibus, quae tibicinum munere funguntur, in orchestram procurrit purpureis pennis ornata (v. 268; hanc nos: „Flamingo" dicimus), quum interim upupa iterum in conspectum omnium prodit**). (cfr. v. 271) — illas Schoenbornius p. 319 in ipsam scaenam prodeuntes facit, cuius rei nobis quidem causa nulla esse videtur. — Altera deinceps sequitur (v. 274), cuius ad speciem pennis versicoloribus insignem incessumque superbum Euelpides mirabundus comitis animum advertit***). Quaeritur autem hoc loco, utrum nomine „*Μῆδος*" pavo an gallus significetur, quum hac de re veterum testimonia inter se discrepent. Etenim ut

*) Ex v. 197 intellegitur, Terea non regem avium fuisse, sed rem publicam earum liberam a poeta fingi, scilicet Atheniensi similem.

**) V. 266 verba *χαραδριὸν μιμούμενος* non de cantu, sed de latebris, in quas upupa secessit, excipienda esse videntur, cfr. schol. h. v.: *Εὐφρόνιος ἐκ τοῦ χαραδριὸν μιμούμενος ἀξιοῖ δέχεσθαι ἀποκεκρυμμένος κ. τ. λ.* —

***) Hanc Wieselerus propter cognomen *μουσομάντις* citharoedi vicem tenuisse conicit.

scholiasta ad vv. 485, 287, 833, 835 huius fabulae annotans de gallinaceo agi arbitratur, sicubi verba *Μῆδος* et *Περσικός ὄρνις* inveniantur, ita Suidas vocem „*Μηδικός ὄρνις*" interpretatur „*ὁ ταών*"; cui sententiae suffragatur Acharnensium fabulae versus 63 c. scholl. et Avium versus 269. — Quae quum ita sint, quid statuendum sit, haud facile est diiudicatu; quamquam nobis quidem Suidae interpretatio anteponenda esse videtur, quod pavo avis etiamtunc rarior satisque ignota erat, quum gallinaceos Aristophanis temporibus ad certamina publica praeparatos esse Nubium fabula edoceamur (cfr. scholl. in v. 889, cfr. etiam huius fabulae v. 1365 seqq. c. scholl.; Vesp. v. 100; Nub. v. 1430). Tertia mox avis cristata atque upupae simillima advolat (v. 279), quam et ipsam capite solo pennigeram fuisse ex v. 284 colligendum est. Quarta denique avis versicolor (v. 287) et cristata (v. 290), nomine *κατωφαγᾶς* in conspectum venit. — Post has vero quattuor universum avium agmen — chorus scilicet — in orchestram irruit ac priores quidem sex, non solito, ut videtur, ordine, sed ita ut singulae confuse discurrant (cfr. Schoenborn. p. 319 et fabulae v. 307); unde fit, ut aditus orchestrae prae earum turba conspici nequeat (v. 296). Ceteros autem choreutas tribus ordinibus senas aves continentibus h. e. *κατὰ στοίχους* dispositos in orchestra constitisse inde patet, quod tribus versibus senae aves enumerantur (cfr. vv. 302 seqq). Ad hoc igitur spectaculum Pithetaerus (v. 294) comitis animum advertit digitos ad singulas intendens, quas viginti quattuor numero nominatim commemorat (cfr. schol. in v. 297). Aves autem mediam in orchestram progressae clangores varios edunt et oculis trucibus rictuque hiante circumspiciunt, unde advenae duo non nimis animosi sibi bellum parari sentiunt (v. 308). Iam upupa avium clamoribus accitur; itaque in marginem proscaenii progressa se illas convocasse profitetur (v. 311), quod quam ob rem fecerit, exponere incipit (v. 316). Re declarata omnes sese proditas conclamantes (v. 327 seqq.) upupam cantico brevi facinoris turpissimi accusant. Quo facto ad Athenienses conversae impetum in eos facere constituunt (v. 336); bellico igitur cantato acieque disposita coryphaeo duce hostes aggrediuntur (cfr. schol. in v. 343 in fine: *παρακελεύονται ἑαυτοῖς ὡς ἐν πολεμικῇ παρατάξει*

βουλόμενοι κατ' αὐτῶν ὁρμῆσαι; item v. 353). Iam vero Euelpides metu perculsus fugam parat (v. 354), sed invitus a socio audaciore retinetur. Is autem ollis, quas secum attulerunt, ad defendendum uti suadet (cfr. v. 43), quia noctuis, fabricae Atheniensis signis, ornatae erant (v. 358), quarum imaginibus noctuas ipsas prohiberi posse confidit — scholiasta hoc loco nugatur. — Atque Euelpidem aves quasdam rapaces irruentes monstrantem, ad quas quidem arcendas alio praesidio opus erat, ille veru ad defendendum uti hortatur, ita ut id ante se valli instar solo infigat. Deinde comitem oculis timentem vas quoddam e canistro, quo et acetabulum et alia eius modi vasa continebantur, depromptum (v. 361) oculis praeligare iubet. His rebus peractis impetum avium rostris demissis, quasi hastis infestis, irruentium ac primum quidem ipsam ollam aggredientium (cfr. v. 365 c. scholl.) excipiunt (v. 364). Est autem statuendum, aves acie instructa gradus ex orchestra in scaenam ferentes ascendere coepisse; sed cur eas ipsam scaenam intrasse putemus — id quod Schoenbornius p. 319 sibi persuasit — nihil causae esse videtur. At upupa intercedit temptatura, si iram odiumque avium mitigare possit (v. 366); cui contingit, ut illae Pithetaerum, antequam criminis poenas det, causam dicere concedant (v. 382). Itaque Athenienses pedem referentes *) satis habent olla vasculisque — armis scilicet — depositis praesidii causa intra munitiones veru armati excubias agere, ita ut olla tecti (v. 390), quid hostes agant, observent**). Chorus quoque paullatim acquiescens in statum solitum, quem *κατὰ στοίχους* fuisse supra demonstravimus (cfr. R. Arnoldt p. 73), redit armaque se deponere simulat (cfr. scholl. v. 401). Tum coryphaeus (R. Arnoldt, p. 74) upupam arcessitam de advenis interrogare coepit (v. 406); cuius responsa chorus miratus ipsos audire animum inducit. Quo facto (v. 436) upupa Xanthiam et

*) Non metu perculsi, id quod scholiasta in v. 383 annotat, sed quoniam aves iracundiae aliquid remittentes vident, cfr. v. 383: *οἶδε τῆς ὀργῆς χαλᾶν εἴξασιν.* —

**) Confisi fore ut, si moriendum sit, publice in Ceramico sepeliantur; quibus verbis ad „ollae" praesidium alludere videntur, cfr. scholl. in vv. 394 et 395 in fine. —

Manodorum, pedisequos Atheniensium, quos et ipsos olla veruque armatos fuisse verisimile est (cfr. schol. in v. 448: *παίζει δὲ εἰς τοὺς χυτροφόρους ὁπλίτας φάσκων*) arma auferre iubet (cfr. scholl. in vv. 434 et 656); Pithetaerum vero, ut coram avibus contionetur, hortatur. Itaque is, postquam a choro impetravit, ut omnibus iniuriis abstineat eiusque rei iureiurando fidem faciat, perorare coepit.*) Priusquam autem orationem ipsam ordiatur, munere praeconis functus concionem sollemni modo auspicatur (v. 448 seqq.). Deinde iterum a choro admonitus, ut consilium persequatur (v. 461) spectatores ad orationem sequentem quasi ad epulas lautissime apparatas invitat (v. 462 cum scholiis: *τὸ δὲ ἐξῆς παίζει ὡς περὶ δείπνου λέγων, καίτοι μέλλων λόγῳ αὐτοὺς εὐωχεῖν*), scilicet ea ratione, ut audientium studia quam maxime inflammet. Ac verisimile quidem est, vv. 463 et 464 non dicis causa ab eo pronuntiatos esse, sed revera servos duos coronam atque aquam lustralem ex postscaenio attulisse, et ipsos instar avium personatos — hoc Droysenio quoque probatur; annotat enim p. 58: *παῖς τις ὄρνις στέφανον φέρων καὶ ὕδωρ* —. Tum oratione copiosissima gravissimaque habita aves ex infestissimis sibi amicissimas reddit et consiliis suis de una omnium urbe condenda expositis cum socio ab upupa in nidum ipsius invitatur (v. 642 c. scholl. in v. 640). Ille vero priusquam condicionem accipiat, upupam subsistere iubet (v. 648), ut sibi quendam de societate hominum cum avibus ineunda scrupulum eripiat. Etenim ei in mentem venit sese pennarum expertem esse. Sed upupa se eius inopiae remedium, radicem quandam, possidere confirmat; quo ille audito non iam rem detrectans pedisequos sarcinas in umeros recipere iubet (cfr. schol. in v. 656). Qui dum intus abire parant, chorus upupam revocat hortaturus, ut hospites laute accipiat ipsique lusciniam iocandi causa emittat. Huic rei quoniam Athenienses quoque suffragantur, upupa Procnen provocat, quae per valvas regias fruticibus obtectas e postscaenio in conspectum prodit (cfr. v. 662 c. schol.: *τοῦτο δὲ λέγεται ὡς τῆς Πρόκνης*

*) V. 443 cum Bentleio *τόνδε* legendum est, quo verbo chorus utitur nates monstrans.

ἐγκρυπτομένης τῇ ὕλῃ), capite avis atque inprimis rostro praelongo ac deformi (vv. 672 et 674 c. scholl.), ceteris membris instar puellae formosae personata (cfr. schol. in v. 667: ἑταιρίδιον πρόσεισι, τὰ ἄλλα μὲν κεκαλλωπισμένον, τὴν δὲ κεφαλὴν ὄρνιθος ἔχον ὡς ἀηδόνος), auro magnifice exornata (v. 670), tibicinae tenerae candidaeque vicem explens (cfr. vv. 668 et 682 c. scholl.). Hanc autem in ipsa scaena, non in orchestra agere non solum eo colligendum est, quod supra (v. 222) in postscaenio vocem edidit, sed etiam quod ad hospitum potissimum oculos delectandos producitur (cfr. v. 666: καὶ σαυτὴν ἐπιδείκνυ τοῖς ξένοις). Sed ut haec omittamus, nostra sententia vel maxime confirmatur verbis scholiastae ad v. 668 (ὡς δ'ἁπαλόν, ὡς δὲ λευκόν) haec annotantis: ἅμα λέγων ψηλαφᾷ αὐτήν — scilicet Πειθέταιρος. Inde patet scholiastam v. 673 explicantem, quum dicat: ὡς ἐν θυμέλῃ γὰρ προσωπεῖον ἐξῆλθεν ἔχουσα manifesto errasse; nisi forte hoc loco vox θυμέλη pro scaena ipsa accipienda est (cfr. Schneider. §. 96, p. 75: „Auch wurde θυμέλη für λογεῖον und προσκήνιον gebraucht, wo, wie bei den Römern, die Pantomimen, Sänger und Musiker standen, ja für σκηνή überhaupt"). Tandem Athenienses Procnen satis admirati, quam Pithetaerus etiam contrectare audet (cfr. v. 668 c. schol.), cum upupa in nidum eius abeunt (v. 675). Quo facto scaena vacua relicta parabasi locus datur, cui Procne in orchestram per gradus degressa tibiis concinit (cfr. v. 684 c. schol. in v. 682: πολλάκις πρὸς αὐλὸν λέγουσι τὰς παραβάσεις); paullo post ipsa (v. 737 seqq.) carmine suavissimo a choro celebratur. —

Parabasi deinde finita par nobile fratrum iterum in scaenam procedit (v. 801), alis ingentibus, sed raris pennis vestitum; unde fit, ut alter alterum de habitu monstroso illudat (cfr. scholl. in v. 801: ἐξῆλθον μὲν οἱ δύο ἐπτερωμένοι καὶ ἀλλήλων χλευάζοντες τὰ σχήματα; item scholl. in vv. 35 et 654). Atque Euelpidem anseris in peius picti, Pithetaerum merulae circa verticem tonsae speciem referre poetae verbis diligentius examinatis cognoscimus.*) Iam vero de nomine urbi novae indendo

*) Qui quidem habitus et upupae Procnesque simillimus est (cfr. quae de illis personis supra pp. 44 et 48 disputavimus) et ad risum movendum aptissimus.

deliberare incipiunt, quam ex nubibus aurisque, quibus circumdati sunt (vv. 817, 821), Nephelococcygiam nuncupare placet. Qua re constituta Euelpides in aera delegatur, qui opus novum custodiat legatosque ad deos hominesque emittat (v. 847), nec iam in scaenam revertitur. Ipse Pithetaerus denuo nidum upupae intrat, unde sacerdotem pompae instituendae causa arcessat, servulis interim canistrum et aquam lustralem, quibus rebus ad rem divinam faciendam opus erat, in scaenam proferre iussis (v. 850) — hos quoque instar avium personatos fuisse cum Droysenio (p. 59: παῖς τις ὄρνις κανοῦν καὶ χέρνιβα φέρων) statuimus. — Donec autem ille redeat, chorus canticum pompae aptum incipit; cui tibicen concinit (cfr. scholl. in vv. 857: βοᾷ ὁ αὐλητής et 859), mox una cum sacerdote Pithetaerum in proscaenium subsequens, dum servi cum hostia et rebus sacris procedunt. Ac tibicinem quidem patet (v. 861 c. scholl.: ἔοικε δὲ ὁ αὐλητὴς διεσκευάσθαι εἰς κόρακα) instar corvi personatum fuisse, ita tamen, ut more tibicinum os fascia scortea redimitum haberet. Quare putaverim sacerdotem quoque speciem avis cuiusdam praebuisse, fortasse accipitris (cfr. v. 869), ceterum sollemni ritu vittis ornatum (v. 893). — Sacerdos igitur Pithetaeri iussu sacrificium paraturus servum canistrum cum mola salsa ferentem circumspicit (v. 864; cfr. etiam Acharnens. v. 244 et Pacis v. 948). Deinde precando rem divinam auspicatur (v. 865 seqq.; cfr. Acharnens. v. 247, Pacis v. 974 seqq.) choro respondente. At Pithetaerus ubi eum pro multitudine avium cuiusvis generis vota nuncupantem audivit, iratus ipsum cum vittis abigit, hostiam vix ossibus harentem (vv. 890, 902 cum scholl. in vv. 890 et 893), quam caprum intellegendam esse ex v. 959 cognoscimus, sibi soli reservans. Quo facto solus rem divinam facere parat, choro iterum ominis causa canere incipiente. Tum vero illi preces praeituro poeta lyricus quidam esuriens a terra occurrit, urbem novam cantando celebraturus (v. 904 c. schol., item Pac. v. 830) crinibus demissis (v. 911), palliolo autem obsoleto attritoque indutus (v. 915 c. schol.). Hic conditorem urbis supplex de munusculo appellat (hoc non sine cavillatione Pindari fieri, qui eodem avaritiae vitio insignis erat, rationem habenti scholiastarum in vv. 926, 930 et 941: „λαβὼν δὲ ἡμιόνους παρ' Ἱέρωνος

ἥτει αὐτὸν καὶ ἅρμα" annotantium facile persuadetur). Unde ille permovetur, ut servum astantem vestem suam pelliceam exutam (v. 933) algenti tradere iubeat (scholiastam haec verba non ad servum, sed ad sacerdotem referenda esse putasse eo intellegimus, quod v. 935 annotat: „μετὰ τὸ ἀποδύσασθαι τὸν ἱερέα" itemque v. 954: πρὸς τὸν ἱερέα φησί· περίελθε καὶ περίρραινε; cui sententiae non solum obstat, quod Pithetaerus paullo ante eundem hominem abegit (v. 893), sed etiam quod ministrorum fuit sacrificantibus eiusmodi operam navare, cfr. Pacis v. 956). Poeta autem statim canendo doni recepti gratias refert (v. 936) neque tamen supplicare desistit, ita ut Pithetaerus hominem importunum tunica quoque servi (v. 947) condonare cogatur, quo eum a se amoliatur. Qua impetrata poeta tandem cantans in terram redit (v. 953). Mox vero ubi Pithetaerus servum operarium cum aqua lustrali aram circumire iussit, quam in scaena collocatam fuisse statuendum est (cfr. Pacis fabulae v. 957; item Schoemann. Griech. Staatsalterth. II. p. 211), hariolus quidam sacrificio supervenit (v. 959) impediturus, quominus rem sacram conficiat (cfr. Pac. v. 1043 seqq.). Atque ut praeceptorum fidem faciat, illi libellum oraculorum responsis completum porrigit (v. 974.) At Pithetaerus paria paribus referens simulat se quoque oracula commentariis inscripta habere, quorum hariolo exemplum recitat (v. 981 seqq.). Deinde ei de nugis verba facienti agnominatione usus flagellum ante oculos obtendit (v. 986), quo hominem molestissimum paullo post (v. 990) non iam sibi temperans ita tractat, ut is cum lamentatione aufugiat. Verum hunc vixdum amolitus est, quum Meton, mathematicus inclitus, cum doctrinae suae instrumentis accedit (v. 992), novam urbem metaturus, pro fastu cothurno calceatus (cfr. v. 994 c. scholl.). Nec dubium esse potest, quin poeta actorem partes eius agentem propria hominis doctissimi persona insignem fecerit. Is igitur Pithetaero curioso singula artis instrumenta monstrat (v. 999), regulas curvas (v. 1002) et circinum (v. 1003), quibus figuras in aere describit; nihilo minus ab eodem ut homo vanus ac nebulo verberibus loco deturbatur (v. 1018 *). Sed Metone

*) Cfr. etiam scholl. in vv. 1017 et 1018.

abacto novum deinceps malum irruit: praefectus plebiscito Athenis emissus ad tributa novae coloniae exigenda magistratusque creandos (v. 1021); quem ille et ipsum breviter collocutus quamvis habitu delicato superboque insignem (cfr. v. 1021 et Acharnens. v. 64) verberibus domum abigere coepit (v. 1029 c. scholl.) ac frustra iniuriam illatam questum cum urnis, quae potestatis insignia secum attulit, aufugere cogit (v. 1032). Ne tunc quidem otio frui potest. Praefectum enim caupo edictorum (v. 1037 c. scholl. in v. 1035), ex urbe nuper condita lucrum facturus legesque novas venditans (v. 1039) e vestigio sequitur. Accedit, quod praefectus animo ex societate recepto iterum in scaenam redit (v. 1046), Pithetaerum de vi in ius vocaturus. Postremo vero (v. 1055), ubi is servos auxilio evocavit, ambo rebus desperatis fugae sese mandant. Quo facto ille tot tantisque malis defatigatus cum servis domum abit, intus hostiam immolaturus (v. 1057 c. scholl.) —

Iam altera sequitur parabasis, haud integra illa quidem (cfr. scholl. in v. 1058), sed quattuor tantum partes continens, quam scholiasta ἐπιρρηματικὴν συζυγίαν appellat. Qua finita Pithetaerus in scaenam redit (v. 1117), sacra bene evenisse praedicans nuntiumque de moenibus aedificatis desiderans. Ad tempus igitur nuntius cursu exanimatus appropinquat (v. 1121), quem avis instar personatum fuisse et verba ipsius avium voces imitantia: ποῦ ποῦ'στι ποῦ; ποῦ ποῦ'στι ποῦ; ποῦ ποῦ'στι ποῦ; (cui versui simillimae avium vociferationes v. 310: ποποποποποποποῦ; v. 315: τιτιτιτιτιτιτιτίνα λόγον κ. τ. λ. v. 319: ποῦ; πᾷ; πῶς φῄς; respondent, nec minus v. 1199: αὕτη σὺ ποῖ ποῖ ποῖ πέτει; quo versu Pithetaerus ipse societatem avium voces earum imitatus ostentare videtur*) et tota res satis demonstrare videntur. Etenim et Pithetaerus, reipublicae avium conditor ac rector, quo aptiorem novae dignitati se praestet, inde a v. 801 — id quod supra commemoravimus — avis speciem prae se fert et chorus, quo universus avium populus

*) Ceterum ea quoque res nostrae sententiae favet, quod eius modi vociferationes in reliquis Aristophanis fabulis haud facile occurrunt; nam in earum numero vocem ἰοῦ, ἰοῦ (cfr. Pac. vv. 317, 345 cet.) non referendam esse, satis perspicuum est.

repraesentatur, eodem modo personatus est. Atqui ratione habita v. 1142: „ἐπηλοφόρουν δ'αὐτοῖσι τίνες; Αγγ. ἐρῳδιοί et scholii in v. 1163: ἀπονίψομαι· ἦν γὰρ ἀπὸ πηλοῦ ἢ ἀπὸ κονίας, ὡς ἀπὸ τῶν ἔργων" haud alienum videtur conicere eum ardeae sive ciconiae (cfr. schol. in v. 1213: ὡς τῶν πελαργῶν φυλάκων ὄντων) instar personatum fuisse, limo ac pulvere oblitum. Ceterum non toto habitu eum avis speciem retulisse censemus, sed capite tantum alisque, cui sententiae vestitus Atheniensium (v. 801), Procnes (v. 666 seqq.), upupae (v. 104) testimonio esse potest. — Postquam igitur nuntius de moenium aedificatione perfecta retulit, lavatum avolat (v. 1163). Tunc vero Pithetaerus non iam facere potest, quin summam rerum cognitarum admirationem gestibus stupentis exprimat (v. 1164). Necdum sui compos alterum nuntium conspicatur accurrentem (v. 1168), quem et ipsum ut avem personatum fuisse v. 1168 cum v. 1174 comparatus demonstrat, unde manifestum fit, et nuntium e numero custodum fuisse (v. 1168: ἀλλ' ὅδε φύλαξ γάρ κ. τ. λ. ἐσθεῖ) et custodes graculos delectos esse (v. 1174: λαθὼν κολοιοὺς φύλακας κ. τ. λ.; cfr. schol. in v. 1212: ἡμεροφύλακες γὰρ οἱ κολοιοί). Itaque vix dubitari potest, quin nuntius alter graculi speciem capite alisque prae se tulerit, a qua ave os bellicosum non abhorret (cfr. v. 1169: πυρρίχην βλέπων c. schol. h. v.). — Pithetaerus autem a nuntio illo satis trepido de irruptione dei alicuius alati certior factus, omnibus ministris auxilio convocatis, sibi ipsi fundam afferri iubet (v. 1187); quam si revera in scaenam proferri iudices, statuendum est, servum afferentem et ipsum avis instar personatum fuisse. Quo facto chorus bellicum canit aethera universum observare hortans (v. 1190), ne quis deorum clam perrumpat. Mox autem quoquoversus circumspiciens Iridem deam aspicit (v. 1196) coelo devolantem (v. 1197), quam Pithetaerus consistere cogit et pergentem a servis comprehendi iubet (v. 1205 c. scholl. in v. 1199), quos avium speciem prae se tulisse ex ipsis poetae verbis colligitur (cfr. v. 1206: ταυτηνί τις οὐ ξυλλήψεται ἀναπτάμενος τρίορχος*) Huius deae de habitu constat, eam alatam

*) Iridem deam machina in scaenam demitti supra demonstratum est.

fuisse (v. 1176), unde ille propter alarum expansarum cum remis similitudinem (v. 1229) primo aspectu de navigio quodam cogitat (scholiasta v. 1203 verbum πλοῖον interpretaturus ad vestem deae volando sinuatam hanc vocem refert, quae sententia minus probanda esse videtur). Praeterea caput petaso tectum fuisse ex v. 1203 c. scholl. cognoscimus; ceterum speciem puellae formosae praebebat (cfr. scholl. in vv. 1206 et 1261). —

Ac Pithetaerus quidem ex Iride, quo volatura sit, percontatus deam ab Iove de sacrificiis neglectis ad homines missam esse comperit (v. 1230). Attamen Iovis iussa nihil moratus eam retinet, seque tam credulum atque omni doctrina destitutum esse negat, ut verbis eius grandiloquis terreri possit. Postremo vero obscoena minatus deam in sinistram scaenae partem verberando abigit (v. 1261). Qua re gesta a choro collaudatus adventum praeconis ad homines demissi desiderat, qui paullo post gratulabundus in scaenam redit, domino coronam auream ab illis dicatam offerens (v. 1274). Hunc quoque avis instar personatum fuisse consentaneum est, cuius rei non tam illud documentum esse potest, quod interiectione ὦ saepissime usus voces avium quadantenus imitari videtur, quam quod se ipse in avium numero ponit (v. 1287: ὥσπερ ἡμεῖς ἐπὶ νομόν κ. τ. λ.). Cuiusnam autem avis potissimum formam exhibuerit, quoniam testimonia desunt, difficile est diiudicatu. — Ubi igitur nuntius narravit, novum avium regnum hominibus quam maxime probari, atque adeo ipsos homines complures aves imitandi cupidissimos mox pennarum petendarum causa adventuros esse: Pithetaerus ei praecipit, ut domi corbes fiscinasque omnes pennis compleat (v. 1309); completas a Mane servo in scaenam transportari iubet (v. 1311 c. scholl. in v. 1310). Cui iussa segnius facienti (vv. 1317, 1323 c. scholl.) chorus maioris industriae movendae causa a domino alapam satis grandem, cuius exemplum ostendit, impingi cupit (v. 1327 c. scholl. v. 1326). Porro idem Pithetaerum pennas allatas ordine dispositas ex diversis hominum singulorum moribus dispertiri iubet (v. 1331); quas quidem pro tribus avium generibus: musicis, auguralibus, maritimis ita ab Atheniensi disponi statuendum est, ut tres acervos construat, primum ex pennis cycnorum lusciniarumque, alterum ex pennis

corvorum aquilarum reliquorum oscinum, tertium ex pennis larorum et mergorum similiumque avium (cfr. scholl. v. 1331). — Tandem vero herus, postquam Manem nihilo impigriorem cognovit, manus ei infert (v. 1335 c. scholl.), quum subito parricida accedit carmen sublime cantans (v. 1341; cfr. scholl. in v. 1337, item Nub. v. 1325 seqq.), qui se civem novae avium reipublicae fieri velle ostendit. Cui ille promittit, se eum instar avis orbae pennis instructurum esse (v. 1361); itaque homini nefario alam (v. 1364), calcar ferreum, cristam (v. 1365) porrigit, quibus rebus galli instar ad proeliandum praeparetur (cfr. scholl. vv. 1363, 1365). Sic ornatum in Thraciam ablegat (v. 1369). Vixdum autem ille de scaena discessit, quum Cinesias carmen sublime cantans pennas petiturus appropinquat; quem Pithetaerus ideo, quod verbo volandi similibusque identidem utentem audivit, magna pennarum copia indigere intellegit (v. 1375). Ceterum dubium esse non potest, quin iste poeta pessimus, quem Aristophanes saepissime illudit, propria ipsius persona indutus in conspectum theatri prodierit; ac videtur quidem ore pallido (1377) et corpore macerato (cfr. scholl. vv. 1378 et 1379 item v. 1401: *ὡς ἰσχνὸν ὄντα τῷ σώματι.*) fuisse, altero pede claudus (v. 1379 c. scholl.). Istius igitur cantilenas Pithetaerus invitus audire cogitur, donec alis eum percidere aggreditur (cfr. scholl. vv. 1397 et 1401), quam rem homo importunus indigne ferens aliunde pennas requirere constituit (v. 1409). — Post poetam deinde abactum sycophanta in scaenam prodit (v. 1410 c. scholl.) eo scilicet consilio, ut in avium civitate lucrum quaerat, veste varia, sed sordida detritaque indutus (cfr. scholl. v. 1415: *πρὸς τὸ ῥυπαρὸν καὶ ποικίλον τοῦ ἱματίου αὐτοῦ;* item v. 1417), cantilenam — *σκόλιον* — secum murmurans (v. 1414). Is quoque a Pithetaero, qui hominem improbum indignanter recipit, pennas easque veloces ac leves (v. 1453) flagitat. Hic vero iuvenem robustum (v. 1431) frustra laborandi admonitum non pennis, sed verberibus flagellorum Corcyraeorum donat (cfr. scholl. vv. 1463 et 1464: *ἀντὶ τοῦ πτερὰ τῶ μάστιγε παρέλαβεν. ἴσως δὲ διπλῆ ἦν*) atque ita quam celerrime aufugere cogit (v. 1467). — Iam vero Pithetaerus tot molestiarum pertaesus cum servis pennis correptis domum concedit (v. 1469). Sic scaena vacua relicta, choro occasio

cantandi offertur, qua ille ad mores pessimorum quorundam civium Atheniensium perstringendos utitur. Cantum eius Promethei adventus excipit, cui Pithetaerus domo egressus (v. 1495) occurrit, hominem velatum anxieque respicientem mirans (vv. 1496, 1497; cfr. scholl. vv. 1494, 1503, 1504). Tandem advena eo saltem audaciae procedit, ut caput detegat; unde ille, qui sit, certior factus laeto animo amicum salutat. Hic vero, ne nomen ipsius magna voce pronuntiet, precatus illi umbellam porrigit, qua ipsum a deorum oculis protegat (v. 1508 c. scholl.) *). Quo facto eum Prometheus (v. 1512) de summo discrimine, quo di avium regno condito perducti sint, edocet; qua de re legatos e numero deorum de pace cum avibus ineunda missos mox adventuros esse nuntiat. Hac re gesta umbellam reposcit (c. 1551), cuius beneficio clientae virginem *κανηφόρον* subsequentis vices explere videatur (cfr. schol.: *ταῖς γὰρ κανηφόροις σκιάδειον καὶ δίφρον ἀκολουθεῖ τις ἔχουσα;* item Schoemann. Griech. Staatsalterth. I, p. 355). Pithetaerus vero consilium amici iuvaturus sellam quoque ei subministrat, qualem *αἱ διφροφόροι* virginibus ingenuis pompas instituentibus gestare solebant **). Uterque igitur abit, alter in coelum rediens, alter domum intrans. —

Deinde post canticum chori interiectum legati a superis missi: Neptunus cum Hercule et Triballo, deo barbaro, in scaenam prodeunt (cfr. scholl. v. 1565), quos poeta risus movendi causa revera urbem aetheriam conspicientes fingit (v. 1556). Ex iis autem deus barbarus inurbane — sinistro scilicet brachio et ad pedes usque, cfr. scholl. v. 1569 — pallio amictus est (v. 1567 c. scholl.), qua de re Beckeri Caricl. II, p. 320 conferas. Quo viso Neptunum, deum ab optimatibus stantem, comitis plebeii rusticique pudet (v. 1571) ***). — Interim Pithetaerus, ne legatos quicquam morari videatur, pro media scaenae ianua in coquendo occupatus est, servorum familia circumdatus, ex

*) Ex scholio h. v. colligendum est, exemplaria Aristophanis in bibliotheca regis Attali fuisse; leguntur enim haec: *ἐν τοῖς Ἀτταλίοις εὗρον „σκιάδιον“ καὶ ἐν τῷ παλαιῷ τῷ ἐμῷ.* V.

**) Cfr. etiam Equitum v. 1384 seqq.

***) Scholiasta hoc loco nugatur, verba Neptuni falso ad Pithetaerum referens.

quibus alii aliam operam imperat (v. 1579 seqq. cum scholl. v. 1582). Ac postulat quidem modo casei radulam, laserpitium (v. 1579, cfr. etiam schol. h. v. et Catulli carm. VII, 4), caseum (v. 1580); modo carbones excitari iubet. Consentaneum autem est, hoc quoque loco singulos servos, quibus ille mandata imperat, avium instar personatos fuisse, cui sententiae etiam Droysenius assentitur, nisi quod de uno tantum coquo cogitat (p. 60 enim annotat: *μάγειρός τις ὄρνις*) *). Iam legati propius aggressi dominum salutant (v. 1581); at is dis neglectis coquo imperat, ut carnibus assis laserpitium inspergat (v. 1582 c. scholl.), unde Hercules, ut est gulosus, de genere carnium percontari coepit. Hunc postquam Pithetaerus brevibus verbis salutavit, a Neptuno, cur legati venerint, edoctus tergiversatur, quum se ipsum oleum deficere praedicet, quo ad aves assandas opus esse Hercules consentit **). Ubi vero ipse pacis condiciones proposuit, Herculem quidem facile ad prandium invitatum capit (v. 1603); Triballo quoque rem persuadet (v. 1616). Itaque ne Neptunus quidem amplius condicionem detrectat (v. 1630). At postquam ille etiam Basilissam sibi vindicavit, Neptunus indignatus re infecta abire parat (v. 1636). Quare Pithetaerus iterum epulis apparandis operam dat, coquum ius dulcedine condire iubens (v. 1637). Neptunus vero frustra Herculem officiorum erga Iovem observandorum admonet, quum Pithetaerus eundem sevocatum a societate comitum abstrahere studeat, scrupulum ei de sincero Neptuni animo iniciens atque ipsius Iovis erga filium spurium amorem in dubium vocans (v. 1647 seqq.) Itaque montes auri pollicitus efficit, ut consentiat (v. 1675). — Ceterum in interpretando v. 1671: *τί δῆτ' ἄνω κέχηνας αἰκίαν βλέπων;* sententiae eorum assentiendum est, qui haec non ad verbum accipienda esse censent, cfr. scholl. h. v. — Quamvis igitur Iovis frater repugnet, postremo, postquam Triballus quoque adnuisse visus est (v. 1678), conticescere cogitur (v. 1684). Quo facto legati cum Pithetaero in coelum redire

*) Unum ministrum non sufficere ipsa Pithetaeri verba demonstrant (v. 1580): *τυρὸν φερέτω τις· πυρπόλει τοὺς ἄνθρακας.* —

**) Scholiasta v. 1589 opinatur eum his verbis ad mentem ipsius implacabilem alludere.

constituunt. Sed Hercules aspectu blando avium, quibus assandis coquus operam dat (v. 1688), adeo tenetur, ut sese paratum esse affirmet coqui nomine apud aves remanere, quam rem Neptunus ut Iovis filio indignissimam prohibere frustra conatur. Itaque, postquam Pithetaerus sibi vestem nuptialem afferri iussit (v. 1693), ceteri in coelum escendunt, Hercules in nidum upupae recedit. —

Chori deinde cantico absoluto nuntius, quem Pithetaerum proficiscentem comitatum esse statuendum est (cfr. scholl. v. 1706), in scaenam accurrit, herum rebus felicissime gestis appropinquare praenuntians. Ac vixdum sermonem absolvit, quum ille una cum Basilissa (vv. 1713, 1753) in machina conspicitur (v. 1718) de coelo devolans, Iovis ipsius fulmine insignis (v. 1714). Qui dum paullatim in scaenam demittitur, fragor tonitruum auditur (v. 1752) cum fulguribus collucentibus (v. 1748); unde efficitur, ut machinas illas, quas Graeci *κεραυνοσκοπεῖον* et *βροντεῖον* dicunt, hoc loco adhibitas esse statuamus, qua de re supra egimus. Excipiuntur autem sponsus et sponsa a choro Hymenaeum cantante et faces nuptiales praeferente; etenim verba *ἄναγε, δίεχε, πάραγε, πάρεχε* (v. 1720) in eum sensum accipienda esse sentio, ut de motu facium nuptialium intellegamus *) (cfr. scholl. v. 1720 in fine: *χλευάζει δὲ παρὰ τὰ ἐκ Τρωάδων Εὐριπίδου· ἄνεχε, πάρεχε, φῶς φέρε* — v. 308; — item Aristoph. Vespar. v. 1326 cum scholl., Pac. v. 1317, Euripid. Cyclop. v. 203, Helen. v. 723. —

Quemadmodum denique tota fabula finita actores chorumque e conspectu theatri abiisse arbitremur, alio loco demonstravimus.

*) Quas a servis scaenicis in thymele dispositis choreutis subministrari consentaneum est.

Addenda:

p. 7. de Lycophronis commentariis cfr. etiam Prolegg. de comoed. VIII. §. 19 seqq. edit. Bergkianae.

p. 8. ad vocem σκηνογραφίαν cfr. quae de Agatharchi arte pingendi Brunnius, vir harum rerum peritissimus, iudicium faciens disserit; dicit autem (Griech. Künstlergesch. II. p. 51) haec: „Sehr begreiflich ist es, daß die Bühnen- und Zimmermalerei ihn zu perspektivischen Studien aufforderte und anregte, und es ist um so weniger Anstoß daran zu nehmen, wenn er in dieser verhältnißmäßig frühen Zeit auch theoretisch in einer Schrift über Skenographie handelte, da unmittelbar nach ihm (ex eo moniti) Demokrit und Anaxagoras dieser Kunst eine weitere wissenschaftliche Begründung gaben, wie Vitruv ausdrücklich berichtet;" itemque p. 70: „Weit entscheidender wirkte es dagegen, als in Athen die Skenographie durch Agatharchos aus Samos ihre erste praktische Ausbildung erhielt; denn sie mußte ihrer Natur nach von einem Streben nach Illusion ausgehen, durch welche sie mit der Wirklichkeit wetteifert." — Vitruvius autem, cuius vir doctissimus testimonio nititur, haec tradit (l. VII, praef. 11): „Ex eo — Agatharcho — moniti Democritus et Anaxagoras de eadem re scripserunt, quem ad modum oporteat ad aciem oculorum radiorumque extentionem certo loco centro constituto lineas ratione naturali respondere, uti de incerta re certae imagines aedificiorum in scaenarum picturis redderent speciem.

— ad vocem ἡμικύκλιον cfr. Plut. v. Alcibiad. c. XVII.

p. 10. de significatione locorum in scaenae ornatu a veteribus adhibita cfr. K. Otfr. Mueller, kl. deutsche Schr. herausgegeben von Ed. Mueller, Bresl. 1847, Bd. I, p. 503.

p. 16. de usu eius machinae, quam Graeci ἐκκύκλημα dicunt, cfr. eiusdem operis tom. I. p. 524 seqq., inprimis p. 526

supra: „es — das Ekkyklem — sollte das im Hause Verborgene (τὰ ἐν ταῖς οἰκίαις ἀπόρρητα), das was hinter der Bühnenwand lag (τὰ ὑπὸ τὴν σκηνήν) zeigen; item p. 537.—

p. 28. de Lamachi indole cfr. Plut. Alcib. c. XVIII. itemque c. XXI. in fine.

— de personis veteris comoediae certorum hominum mores exprimentibus cfr. etiam Polluc. l. IV §. 143: τὰ μὲν κωμικὰ πρόσωπα, τὰ μὲν τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας, ὡς ἐπιπολὺ τοῖς προσώποις ὧν ἐκωμῴδουν ἀπεικάζετο.

— de statu choreutarum parabasin incipientium cfr. etiam Prolegg. de comoed. I, 11: μετὰ τὸ τοὺς ὑποκριτὰς τοῦ πρώτου μέρους πληρωθέντος ἀπὸ τῆς σκηνῆς ἀναχωρῆσαι ὁ χορὸς — — — ἀπόστροφον ἐποιεῖτο πρὸς τὸν δῆμον.

p. 29. de iis sive partibus sive personis, quae graece παραχορηγήματα appellantur, quarum in numero cum filiolae Megarensis tum puellae istae lascivae referendae sunt, quae v. 1198 seqq. Dicaeopolidem certamine potatorio finito vini victoriaeque plenum in conspectum theatri producunt, cfr. Schneider. §. 161: „Zu unterscheiden sind auch die παραχωρήματα (rectius: παραχορηγήματα), d. i. Nebenauftritte, Personen, die nur einmal auftreten und wenig Einfluß auf die Handlung haben;" item schol. in Pac. v. 113 seqq.; porro K. Otfr. Mueller. kl. d. Schr. cet. Bd. I. p. 495 Anmerkung. —

p. 42. de rebus ad sacrificandum necessariis cfr. Acharn. v. 244, Av. v. 864, Pac. v. 948, Eurip. Iphig. Aulid. v. 1470, Hercul. fur. v. 926 seqq.

p. 45. de compositione chori Avium cfr. schol. in Equit. v. 589.

p. 50. de Metonis indole cfr. Plut. v. Alcib. c. XVII.